UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed & Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima & pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39028**

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XVI
18
Th. 5804.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DORMI SECVRE:

*Vel*

# CYNOSVRA PROFESSORVM

## AC STVDIOSORVM ELOQVENTIÆ:

*in qua*

Viginti Themata Oratoria,

*NON SOLVM STVDIOSIS, SED & Profeſſoribus eloquentiæ ac pietatis veræ amantibus, utiliſſima & perne-ceſſaria,*

Studio & induſtria,

D. MATTHÆI TIMPII SS. Theol. Licent. Rectoris Colle-gii Dett. apud Monaſt. pro-ponuntur.

*Cum* INDICE *rerum atq; verborum locupleti.*

## PARS TERTIA.

Fab. Quintilianus.

*Magnos modica quoq; eloquentia parit fructus.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IODOCVM KALCOVIVM.

ANNO M. DC. L.

*Cum ſpeciali Privilegio S. Cæſ. Majeſt.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# AD STVDIOSAM JUVENTVTEM.

AGite optimarum artium & linguarum ſtudioſiſſimi Adoleſcentes, qui umbratilibus ac ſcholaſticis μελέταις ad ſerias actiones vos præparatis: nolite artis Rhetorices præceptis velut Syrenum ſcopulis ſic affixi adhæreſcere, ut nullo loco numeroque ſtyli exercitationes habeatis, ac de lauta rerum præclararum comparanda ſupellectile minimè ſoliciti ſitis. Hoc agite, ut orationem non ſolùm verbis concinnam, venuſtam, ornatam; ſed rebus etiam, & ſententiis bonis inſtructam, eruditam, ſapientem adferatis. Quid enim eſt *Eloquentia? copio-*

*sè* teſte Cicerone *loquens ſapientia.* Quis Oratoris gravi nomine dignus? Qui, Craſſo ſi credimus, quæcunque res inciderit, quæ dictione explicanda, non modò compoſitè, ornatè, memoriter, & cum quadam actionis dignitate, verùm etiam prudenter dicere poteſt. Quodnam ejuſdem officium? ut doceat, ut delectet, ut moveat: quorum nihil præſtabit, ſi aridam, jeiunam, ſterilem, exuccam, exanguem; non eruditam ac ſapientem; non rerum ac ſententiarum floribus conſperſam, non doctrinæ notis illuminatam orationem protulerit. (odi inanem loquendi profluētiam, circulatoriam ac ventoſam linguæ volubilitatem.) Quare ſi

ſeriò Eloquentiæ operam datis, velis remiſque, quod ajunt, contendite, ne vel naturæ ſolùm bonitate freti; quæ verborum copia ac ornatu ſuffulti; vel præceptorum, vel in arte traduntur, nuda ſcientia nixi; forum aliquando prematis, longis conſiliorum ſubſelliis vos committatis, in legationibus locisque cæteris dicendi partes ſuſcipiatis; ſed præclararum quoq; rerum cognitione vos inſtruatis.

S. AVGVST. lib. 4. de doctrin. Chriſtian. Cap. 5.

SI ergo hæc illi, qui præcepta eloquentiæ tradiderunt, in iisdem libris, in quibus id egerunt, veritate inſtigante coacti ſunt conſiteri, veram, hoc eſt, ſupernam, *quæ à Patre luminum deſcendit*, ſapientiam neſcientes: quanto magis nos non aliter ſentire debemus, qui hujus ſapientiæ filii miniſtri ſumus? Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in ſcripturis ſanctis magis minuſue profecit, &c.

AVCTOR *ex Martial. lib. 9.*

*Majores majora ſonent, mihi, parva locuto*
*Sufficit, in laudem cedere cuncta DEI.*

*Omnibus in omnibus nemo unus adhuc placuit.*

# THEMATA HVIVS TERTIÆ PARTIS.

MONARCHIAM *reliquis Rerumpub. generibus eſſe præferendam* *pag.* 1.

I. BONOS *ad* MAGISTRATUM *gerendum etiam invitos eſſe compellendos,* p. 6

II. *Melius eſſe pedetentim, ſenſim, gradatim honores, Magiſtratus conſequi; quàm ſubitò emergere.* 8.

V. FOEMINAS *ad gubernationes ac Magiſtratus non eſſe admittendas.* 10.

. *Nō excludēdos prorſus eſſe ab honoribus ac Magiſtratu novos, aut obſcuro loco natos.* 12.

I. *Majores Magiſtratus non debere eſſe annuos atq; ambulatorios, ut minores, ſed perpetuos.* 15.

VII. *Melius publicè, & in ſcholis, quàm privatim juventutem inſtitui.* 16.

VIII. *Licitum eſſe Chriſtiano cauſſas in foro agere, ſeu judicio experiri.* 18.

IX. LEGES *è Rep. non eſſe tollendas.* 20.

X. *Corpora defunctorum honeſtè eſſe ſepelienda.* 23.

XI. *Ingenuum dedecere adoleſcentem, contra Magiſtri mandatum, aquas lavandi gratia, ſeu ut lavetur, ingredi.* 25.

XII. *Di-*

XII. *Divitem & pauperem ſcientia ornatos eſſe oportere.* 27.
XIII. *Laus S.* ANDREÆ. 31.
XIV. *Chriſtianos civili Magiſtratui ſubjectos eſſe debere.* 32.
XV. *De* GRATITUDINE. 34.
XV. *De Sacrorum hominum* COELIBATU. 39.
XVII. *Parœneſis ad imitationem virtutum* DEIPARÆ VIRGINIS. 52.
XVIII. *De Laudibus SS.* EUCHARISTIÆ. 53.
XIX. *De indicendo bello Sathanæ.* 55.
XX. *De* HÆRETICORUM *commercijs vitandis.* 57.

I. Mo-

# I. MONARCHIAM RELIQVIS RERVMP. GENERIBUS ESSE PRÆFERENDAM.

IN EXORDIO *dices* Nemini poſſe eſſe dubium, quin Deus voluerit Eccleſiam ſuam ea ratione & modo gubernare, qui ſit omnium optimus & utiliſſimus.

Vide Bellarm. de Rom. Pontifice lib. 1 cap. 1.

*In* PROSOSTIONE, Te demonſtraturum *Mo*-*rchicum* regimen optimum & utiliſſimum eſſe.

CONFIRMRTIONIS I. *Ratio ducetur ab* ANTI-QVITATE: Nam hæc Reip. forma eſt omni-m antiquiſſima & prima. Siquidem cùm easdem ſedes ac familias homines confluxiſſent, in iis, qui ætate antecelluit, vel naturali quodam jure nperandi auctoritatem poteſtatemque ſibi ven-licavit: (*Plato 3. de Leg.*) vel electus eſt; *Polyb.* ib. 6 qui populo præpoſitus admirationi aliis erat, facinoroſos compeſcebat, (*Herodot. lib. 3.*) præ-ſtantes etiam viros contra populum tuebatur. (*A*-*riſt. 5. Pol. cap.. 10.*)

*Longè vetuſtiora sũt Regna, quã Reſp.* Iuſtinus lib. 1.

II. *Ab* ÆQUITATE: quia juſtiſſima & æquiſſi-ma eſſe *Monarchia* videtur, propterea quòd prin-cipem locum præſtantiſſimo cuique defert, ſecun-dum illi, qui à primo proximus eſt: (*Iſocr. in Nico*-*cle.*) & eſt æquiſſimum, ut uni alicui excellenti vi-to libenter & ſpont cives obtemperent. (*Ariſt. 3. Pol. cap. 9*

III. *ab* UTILITATE, *& commodis*. Nam PRI-MÒ, fortiorem ac potentiorem facit Remp. (Er-go & diuturniorem ac ſtabiliorem) Illa enim Reſp. eſt fortior, in qua major eſt civium inter ſe con-

junctio & conſpiratio, cùm vires conjunctæ ſeipſis diſſipatis fortiores ſint, (Virtus unita longè eſt potentior, quàm diſperſa.) At major conjunctio eſt, ubi ab uno pendent omnes, quàm ubi à multis. Hinc ex quatuor potentiſſimis Imperiis tria (*Aſſyriorum*, *Perſarum*, & *Græcorum*) ſub Regibus creverunt. Et licet *Romanum* ſub populari dominatu crevit, tamen in maximis rerum perturbationibus ſine Dictatore (id eſt, Rege ad tempus conſtituto) conſervari non potuit, & multo magis poſtea ſub Auguſto Monarcha floruit. SECUNDÒ, cùm cives uni parent, facilè pax inter eos conſervatur: idem ſentiunt, idem volunt, idem ſequuntur omnes. Si autem multi multitudinem regant, & alius aliud imperet, in varia ſtudia populum ſcindi neceſſe erit: quod tunc minimè poteſt accidere, cum unus duntaxat eſt cum Imperio. Hinc apud Romanos ſub Regibus raræ admodum inter cives diſſenſiones erant: exactis autem Regibus, cùm per annuos Magiſtratꝰ Reſp. gereretur, rarus ille annus fuit, in quo non contéderent patritii cum plebeiis, ac tandem eò usq; civiles contentiones progreſſæ ſunt, ut ſuis quodãmodo manibꝰ potentiſſima illa Reſp. interierit. Et nunquam majori ac diuturniore pace Romana civitas uſa eſt, quàm ſub imperio Auguſti, qui primꝰ Romæ ſtabilem Monarchiam inſtituit.

TERTIÒ facit ut Reſp. minus caſibus & mutationi ſit obnoxia. Chriſtus ait: (Matt 12.) *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* At difficilius dividi poteſt *Monarchia*, quàm ulla alia forma regiminis. Nam id minùs facile dividitur, quod eſt magis unum: magis autem unum eſt ipſum ſimplex (naturaliter & per ſe) unum, quàm multitudo (per ſe multa) conſpirans in unum. Igitur *Monarchia*, quæ pendet ab uno, minus facilè ſcindi deſtruive poteſt, quàm *Ariſtocratia*, vel *Democratia*, quæ pen-

dent

dent à multitudine conſpirante in unum. Hinc *Monarchia Aſſyriorum* aliquot centenis annis duravit: *Scytharum* regnum aliquot annorum millibus ſtetit.

IX. à Facili. Nam Primò, facilius eſt unum hominem bonum, quàm multos reperire. Secundò, facilius populi uni, quàm multis parebunt. Tertiò, Magiſtratus, qui per vices atq; ad breve tempus Remp. gerunt, prius ſæpe deponere coguntur provinciam, quàm Reip. negotia planè & plenè cognoverint. Qui autem ſemper eodem officio funguntur, & iisdem rebus perpetuò præſunt, licet minus ingeniis valeant, longa tamē experientia cæteris antecellunt, cùm & à ſe omnia perfici oportere ſciant, diligenter de ſingulis negotiis cogitant, Remp. ut ſuam, non ut alienam curant (*Iſocrat. in Nicocle.*) Annui Magiſtratus negotia Reip. quaſi aliena reſpiciunt. Quartò, facilius eſt unius viri judicio ac voluntati ſatisfacere; quàm operam dare, ut multis ac variis ingeniis placeas. (*ibid.*) Quintò, ubi multi ſunt qui regnant, vix fieri poteſt, ut inde abſit æmulatio, ambitio, contentio: ex quo non rarò accidit, ut alii alios impediant, atq; id efficiant, ut qui in præſentia ad clavum Reip. ſedent, malè Remp. adminiſtrent, quo major ad ſe, cùm magiſtratu ipſi funguntur, gloria redundet. At Monarcha, quia nō habet cui invideat, aut cum quo de gubernatione contendat, facilius omnia moderatur. Sextò: Quemadmodum in amplis familiis, ubi multis ſervis idem miniſterium aſſignatur, negligenter negotia procurantur, quod unus alii provinciam communem relinquat: ſic ubi ſunt multi, Principes Reip. unus alium reſpicit, & dum unusquisq; in collegas onus rejicit, nemo ſatis diligentem curam adhibet Reip.

(*Segnius expediunt commiſſa negotia plures.*) Mo-

narcha autem, qui ſcit à ſe uno pendere omnia, cogitur nihil negligere.

V. à Comparatione *cum aliis Rerump. formis*, quæ vim ſolidam ac ſtabilem non habent, & in quibus imperandi authoritas ac poteſtas exiguis cancellis circumſcribitur, cùm in multos, quaſi fruſtatim diviſa ac comminuta ſit, in quibus etiam vehementius odia privatim excitantur, & exercētur, cùm vincere quisque in ſententia cupit, ac princeps eſſe. Adhæc cùm hoc ſpectatur, ut æqualitas ſit inter ejusdem Reip. ſocios, id conſequitur, quod iniquum eſt, ut eadem bonis & malis tribuantur, inæquales conſequantur æqualia. (*Iſocr. in Nicocle*) Adde quòd qui non perpetuis Magiſtratibus funguntur, ante privatam ad vitam redeunt, quàm publicorum negotiorum ſcientiam aliquā conſequantur, & uſu rerum erudiantur: atque ſic idem hic metuitur, quod in morbis, cùm ſæpè novi medici adhibentur. (*ibid.*) Præterea dum alii alios intuentur, multa negliguntur, magna temporis pars negotiis domeſticis tribuitur.. (*ibid.*) Et tū rectè Reſpu. geritur, cùm neque omnibus conſilia de ea agitata vulgantur, neque in aperto agitantur: ergo vel hoc nomine *Monarchia* reliquis anteponenda, in quibus mala hæc uſu venire ſolent. (*Dion. lib.* 52.) Illuſtrabis hæc ſimili: Vt gubernatores, cùm in re nautica plures dantur, qui ſimul clavum torquere velint, etiam ſi artem gubernatricē tenent, nihilominus ſeipſos in navi dirigenda impediunt: ita etiam in reliquis Rerump. formis varia ſunt impedimenta.

VI. *ab* Auctoritate Divina, quæ duobus modis oſtendit *Monarchiam* eſſe optimum regimē. Primo: cùm *Deus fecit ex uno* homine *omne genus humanum*, ut ait Paulus *Act.* 17. & omnes omninò pendere voluit ab uno, ſignificavit unius Principatum ſe potius approbare, quàm multorum gu-

ubernationem. SECUNDO: Cùm omnibus pe-
ierebus inſevit naturalem propenſionem ad Mo-
iarchicum regimen. Hinc in qualibet domo na-
uraliter ad unum patremfamilias pertinet guber-
atio conjugis , filiorum, ſervorum, rerum de-
ique cæterarum. Quæ pulchra in mundo ha-
entur, ſingularia ſunt. Mundi ſiquidem diſpoſitio
b uno curatore & rerum univerſarum Domino ac
ege *Deo* gubernatur. Vnus *Sol* diei præeſt, *Luna*
idem eſt una noctis oculus: gemini ſoles ſi fo-
ent, metuendum eſſet, ne conflagrarent & perirēt
mnia. Etiam animantia rationis expertia unius
incipatum expetere videntur: inter quadrupe-
es *Leo* dominatur, inter aues principatum *Aqui-*
tenet: *gruum* volatus longiores non ſunt ſine
uce; habent *cervi* unum quem ſequuntur, ſunt
b rege apiculæ, quo

——— *incolumi mens omnibus una eſt.*

VII. *ab* EXEMPLIS. Gentes omnes regibus
uondam paruerunt. Stant diu Romani Imperato-
es inde à Julio Cæſare, Galli inde à Pharamundo
eges habent, Hiſpani ab Athanarico, Angli à Bri-
hone, Poloni à Lecho, Dani à Dano, Ungari ab
ttila, Boëmi à Zecho, Sueci à Magoga, Scoti à
ergusio. Etiam Græcorum, Athenienſium, Lace-
æmoniorum, Sicyoniorum, Thebanorum, Co-
inthiorum urbes, antequam cæca imperandi cu-
iditate laborârunt, ſub regio imperio tranquillè
ixerunt, & beatè.

*In* PERORATIONE *ex his inferes*, MONAR-
CHIAM cæteris Rerump. formis eſſe præferen-
dam, & dices, quòd licet *Ariſtocratia*, ſeu Optima-
um poteſtas; & *Democratia*, ſeu multitudinis gu-
ernatio, ſuis non ſint privanda laudibus: tamen
deò & illos, qui alias habuerunt Reip. formas, in
ebus graviſſimis & maximis partim unū Imp. par-
im Regem cum imperio exercitibꝰ præficere vo-

 luiſſe.

luiſſe. (*Iſoc. in Nicocle.*) Sic habuerunt Lacedæmonii præter Ephoros ſuos Regem, Athenienſes Sophum, Carthaginenſes unum Judicem, Romani unum Dictatorem: Veneti Senatores multos, ſed unum Ducem. In cæteris vero civitatibus, quæ à pluribus reguntur, unus ferè ſemper eſt à plebe nobilitat9 Princeps, ad quem omnia referuntur, & cuius conſilio pleraq; aguntur.

## *II. BONOS AD MAGISTRATVM gerendum etiam invitos eſſe compellendos.*

Vide in ſpeculo Magiſt. Loc. de Ambitu. de Humilit. & de Honore.

EXORDIUM *duces à conſuetudine prudentum*, qui diu multumque ſecum ipſi deliberare ſolent, gerere, nec ne, Magiſtratum, & aliis præeſſe debeant.

PROPOSITIO: Te probaturum eum, qui oblatum Magiſtratum reſpuit, ac recuſat, ut recipiat, cogendum eſſe.

CONFIRMATIONIS I. RATIO *à conſequentibus malis*. Nam ſi boni ac prudentes oblatos ſibi honores ac Magiſtratus non admittant, eoſdem pravi ac ſtolidi conſequuntur (*Plato Epiſt. 9.*)

II. *à bonorum ac prudentum natura.* Quòd illorum ea ſit natura & conditio quòd quieſcere atq; obedire, quam imperare aliis malunt, nec honorũ cupidine flagrant (*Plato 1. de Rep.*)

III. *à neceſſitate.* Sed ut natura jubente pars una potiùs diſcrimen ſubire cogitur, quam totum pereat: ita Juſtitia flagitat, ut boni etiam periculoſũ potiùs Magiſtratum gerant, quàm damnũ aliquod Reſp. ſentiat. (*Ariſt. 2. Polit. cap. 7.*) Et ſi Reſp. inſtar navis æſtimanda, quæ omnium opus manibus officioq; habet, ideoq; in id incumbendum non modò, ne avertatur, ſed ut in portum tutiſſimum ſeſe recipiat: omnium ac ſingulorum eò conſilia, opes, actio-

actiones dirigendæ, ut Reſp. non ſervetur ſolùm, verùm etiam indies feliciter augeatur.

IV. *ab authoritate legum.* Extat enim Lex in Digeſtis: Si quis Magiſtratus in municipio creatus munere injũcto fungi detrectet, per Præſides munus agnoſcere cogendus eſt remediis, quibus tutores quoq; ſolent cogi ad munus, quod injunctũ eſt, agnoſcendum: (*Digeſt. lib. 50. tit. 4. de muneribus & honor.*) niſi vacatio ſit conceſſa, aut adferatur excuſatio talis, quæ æquitate nitatur, ut ætatis, imbecillitatis corporis, profeſſionis, egeſtatis. (*Ibid. tit. 5. de vacat. & excuſat. mũ. & codicis l. 10. tit. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. in quibus de excuſationibus munerum, de quibus muneribus nemini liceat ſe excuſare, de iis, qui ætate, vel profeſſione ſe excuſant, vel morbo, vel numero liberorum, vel aliis modis, agitur.*)

V. *ab Exemplis ac pœnis Magiſtratum, officia publica recuſantium.* Bene conſtitutæ Reſp. multare eos ſunt ſolitæ, qui Magiſtratus & officia publica recuſarunt: Athenienſis capite, Romani libertate, Sparta patria. Sophænetus, quòd dux declaratus munus recuſaſſet, decem minis multatus eſt. (*Xenoph. de Cyri minoris expedit. lib. 5.*)

*In* CONFUTATIONE *reſpondebis ex appendice quartæ Rationis Confirmationis ad exempla eorum qui delatos honores, oblata regna, dinarchias, magiſtratus deprecatione, aliisq; modis à ſe remouerũt.* T. Manlius Torquatus renuntiatus Conſul, excuſata oculorum valetudine, Centuriam illam, quæ ſuffragium tulerat, revocari juſſit, peſſimum ac periculoſiſſimum ſeſe exemplum dixit introducturum, ſi oculis alienis Remp. adminiſtrandam ſuſciperet, hortatus eſt alium magis idoneum ut eligerent. Cùm verò cuncti inſtarent, alium, inquit, quærite, Quirites, ad quem honorem hunc transferatis. Nam ſi me gerere eum coëgeritis, nec ego mo-

mores veſtros ferre, nec vos meũ perpeti imperium poteritis. Itaq; ſuffragio denuo inito, Conſules electi alii fuerunt. (*Livius l. 6. Plin. de Viris Illuſt. cap. 28. Valer. lib. 6. cap. 4.*

*In* Epilogo hortaberis Auditores, ut oblatos Magiſtratus libenter in gratiam patriæ ſuſcipiant.

## *III. MELIVS ESSE PEDETENTIM, ſenſim, gradatim honores, Magiſtratus, imperia conſequi, quàm ſubitò emergere.*

IN Exordio *dices* erecta vereque libera ingenia ſolere in dubium vocare: utrum melius ſit illicò, an tardè, & quaſi per gradus ad honores, Magiſtratus, imperia conſcendere.

Vide in ſpeculo Magiſt. ſignum. 136.

*In* Propositione: Te oſtenſurum melius eſſe ſenſim ad honores pervenire, quàm celeriter emergere.

Confirmationis I. Argumentum *duces à diuturnitate ac incolumitate huius modi inclareſcendi, & dices*, quòd etſi illuſtrior & ſplendidior ſit ille modus, quo quis ſubitò inclareſcit actionum ſplẽdido, illuſtri, celebri initio, vel operũ primordiis ſplendentibus ac fulgentibus; tamen cum periculo haud exiguo idem conjunctus: hic contra, ut obſcurior & tardior; ita tutior, ac diuturnior ſit. (*Plut. in præceptis ger. Reip.*) Nam, ut habet ſermone tritum proverbium: Subitò quod fit, etiam ſubitò ſolet perire. Et in parvis honoribus timor exiguus, in magnis timor magnus: in illis lapſus inſignis reformidatur, in his metuitur: uti morbi acuti periculoſiores, quàm lenti eſſe conſueverunt. (*Ariſt. 5. Pol. cap. 8*)

II. *ab exemplo Naturæ*, quæ nihil illicò perfectũ producit.

III. *Ab exẽplo aliarum artium*, in quibus ſumma

ante

ante officia non demandantur, quam in inferioribus ac mediis data documenta fuerint. Neque in re nautica naves cataphractæ committuntur, niſi iis, qui remos ante duxerint, ſe exercuerint, & in celocibus, lembis, cymbis ſe exercuerint. Nec in bello Imperator, aut equitum Magiſter, aut ordinum ductor ſubitò quis evadit; tyro ante, & miles triarius extiterit, intermedios honores geſſerit, neceſſe eſt. Et in diſciplina Eccleſiaſtica certi ſemper gradus fuerunt, in quibus ſe exercuerunt, qui ad Sacerdotii dignitatem, aut Epiſcopatus contenderunt.

*IV. ab authoritate & præſcripto Legum Civilium*, quæ jubent, ut gradatim honores deferantur, & à minoribus ad majores perveniatur. (*Digeſt. lib. 4. tit 4.*)

*V. ab exemplis*. Romæ non licuit facilè tranſcenſis mediis honoribus, Tribunatu plebis, Prætura, Ædilitate, ad Conſulatum ſtatim tendere. Plutarch. refert, Tribunos plebis Fulvium & Manlium, cùm Flaminium Conſulatum petentem impedire conarentur, demonſtraſſe, mali rem exempli eſſe, juvenem, nondum Reip. quaſi primis ſacris & myſteriis initiatum ad ſummum honorem contra leges prorumpere. M. Cato, perquàm obſcuris parentibus ortus, gradatim aſcendit, & ad ſummos in Rep. honores pervenit.

*VI. ab Vtili*, quòd hæc ratio inclareſcendi magis ſit libera & immunis ab invidia, quæ ingens virtutum eſt tormentum, & ut veterum quidam dixit, Diaboli jumentum, iſtius, inquam, fumum flamma honorum paulatim effulgens facilè ſuperat.

*In* PERORATIONE *monebis Auditores*, ut ſi hoc modo velint emergere, juvenes adhæreant, & ſeſe applicent, & adjungant ſenibus; obſcuri claris, non ſimpliciter, ſed ob virtutem; indocti, doctis;

infirmi, potentibus; ut eorum authoritate creſcãt, & velut radices in Rep. agant. Quemadmodum enim hederæ ſolæ relictæ in altũ non evehuntur, validas autem celſasq; arbores amplexæ una creſcunt, & attolluntur: ita adoleſcentes ad honores ac dignitates aſcendunt, cùm doctis, claris, prudentibus, magnis viris ſeſe adjungunt. (*Plut. in gerenda Reip. præc.*) Ita magnus factus eſt Cato, cùm Q. Fabio Maximo adhæſit: L. Lucullus illuſtris evaſit, cum L. Lucullum coluit: Gabriam ſecutus Phocion, nomen eſt magnum adeptus.

## *IV. FOEMINAS AD GVBERNATIONES ac Magiſtratus non eſſe admittendas.*

Fœminas à Magiſt. arcendas.

IN EXORDIO *fateberis*, quòd ſint inventæ, & adhuc inveniantur non paucæ fœminæ, præclarè inſtructæ & paratæ ab ingenio, prudentia, doctrina, animi magnitudine, & graviſſimis in negotiis etiam quædam ab hominibus laudatiſſimis in conſilium ſint adhibitæ.

*Contra muliebre imperium.*

*In* PROPOSITIONE *dices*, Te tamen probaturum, Fœminas à gubernatione ac imperio eſſe excludendas.

CONFIRMATIONIS I. RATIO, *ab authoritate Divina*. Nam Lex Divina jubet fœminas ſubeſſe, non imperare viris. *Geneſ.* 1. 1. *Pet.* 3. *ad Epheſ.* 5. *ad Colloſſ.* 3. I. *ad Corinth.* 11.

*II. à Lege Naturæ*, qua magis ad imperandum eſt aptum quod eſt maſculum, quàm quod eſt fœmineum (*Ariſt.* 1 *Polit. cap.* 8.) Viris enim dedit prudentiam, animi magnitudinem, robur, vim imperandi: mulieribus ademit, aut ſaltem imbecillam, languidam, imperfectam conceſſit. (*ibid.*) Inſtruxit dolis fœminarum pectus, ſed vim negavit, ne inexpugnabiles eſſent (*Plat.* 7. *de Leg.*) Adhæc, qui fœminæ aliquid committit, idem facit, ac ſi in foro denuntiaret voce præconũ omnibus (*Stob. ſer.* 27.)

III. à

*III. à Turpi.* Nam multa virilia munera ſunt fœminarum ſexui ac pudori contraria: Magiſtratus enim publica eſt perſona, & palam ac publicè ſui facere copiam debet: at eſt contra muliebrem pudicitiam, eas hominum conſortiis intereſſe. Fœminæ eſt manere domi, tolerare colo vitam, famulas ad lumina longo exercere penſo, ut *Virgil.* 8. *Æneid.* requirit.

*IV. à petulantia & inſolentia muliebris ſexus.* Quò enim fœminæ magis ob naturæ imbecillitatem animorum ſunt motibus obnoxiæ, eò, quoties legum fræenos licentia perruperunt, longius progrediuntur, difficilius revocantur: ad modeſtiam vix unquam redeunt: quippe morborum ac remediorum juxta impatientes. Quòd ſi quæ inter eas fortiores videntur, eò magis ſunt periculoſæ, quòd vehementiores impetus habeant. Adhæc, quantò quisque ſui minorem fiduciam habet, tantò facilius aliorum dicta & facta ad ſuam contumeliam accipit, vehementius iraſcitur, ægrius pacatur, immoderatius vindictam exercet, & velut contemptum ſui ulciſcitur. Hæc omnia quàm ſint Magiſtratum gerentibus adverſa, nemo ignorat.

*V. Ab Exemplis fœminarum, quæ ad gubernacula admotæ male rem geſſerunt:* Athalia crudelis fuit & injuſta. Cleopatra libidinoſa, & ſanguinolenta. Semiamira Heliogabili mater meretricio more vixit, turpia cuncta exercens in aula: unde cautum fuit, ne unquam mulier Senatum ingrederetur, utque inferis caput ejus dicaretur, devoveretur; per quem factum iſtud eſſet. (*Æl. Lamp. in Heliogab.*) Alexandro Imp. atque adeò Imperio Romano toti mater Mammæa nocuit plurimum, cum domi eum retinuit, muliebri pavore & charitate filii nimia, ſuadens alios potius periculis exponeret, quàm ipſe in acie conſiſteret. (*Herodian. in Alexand.*)

*VI. Ite-*

*VI. Iterum à turpi.* Nimis ſervum ſervitium eſt mulierib. obedire, & ubi hæ imperant non modò à libertate, ſed etiam ſervitute homines degenerant (*Tacit. de moribus German.*) Hinc Deus quoties nominis ſui hoſtes ulturum ſeſe minitatur, fœminarum imperiis eos ſubditos fore minitatur, quaſi malorum omnium extremũ illud ſit. (*Iſa.* 8.)

*In* EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut prudentes fœminas debito quidem honore afficiant, ſed nullas, quantulacunque etiam ſit copia virorum, ad rerum adminiſtrationem admittant, ſeu ſibi præficiant.

## *V. NON EXCLVDENDOS PRORSVS eſſe ab honoribus ac Magiſtratu novos, aut obſcuro loco natos.*

IN EXORDIO *fateberis*, in Magiſtratibus committendis, & officiis mandandis ad genus reſpiciendum, ſeu familiæ rationem habendam eſſe, cùm non ſolùm præclarus ac magnificus theſaurus ſit liberorum, parentum virtus, nobilitas & gloria, ſi ea homines non abutantur: ſed inſit quoq; in illa vis admirabilis, & occulta propagandę ac in ſtirpẽ derivandæ virtutis. (*Plato in Menexeno, Plut. de lib. educ.*) Hinc qui antiquo à ſemine bonorum genus ducunt, nihil eſſe turpius arbitrantur, quàm parentum & majorum gloriam dilapidare, & occaſionem laudis quærere non ex ſeipſo, ſed majorum gloria. Norunt enim etiam levia delicta in nobilibus obſervari: quemadmodum majori ſunt dedecori verrucæ in facie, quàm nævi aliis in membris, quæ teguntur. (*Plut. de gerend. Rep.*) Præterea ſplendor ac majeſtas ſingularis Reip. accedit, cùm ad gubernacula nobiles ſedent, in quibus ſingularis virtus ac generis ſplendor lucet. (*Ariſt. 3. Polit. c. 8.*) Itaque apud Spartanos, Athenienſes, Corinthios, more receptum fuit, ut penes notas familias, & qui-

quidem nobiles regiæ dignitates, officia publica alia eſſent (*Herod.l.5.Pauſan.lib.1.Strabo lib.8.*)

*In* PROPOSITIONE *dices*, quod licet hæc rectè ſeſe habeant, tamen certum tibi ſit probare non excludendos prorſus ab honoribus eſſe homines obſcuros ac novos.

CONFIRMATIONIS I. RATIO *ab Exemplis*. SAUL patris ſui aſinas amiſſas quærens, Rex ungitur: DAVID paſcẽs oves. (*1.Reg.10.&16.*) Cùm AMASIS apud Ægyptios pauper & obſcurus ad regium culmen perveniſſet, eoque nomine contemneretur à ſuis, ex aureo vaſe, quod turpes ad uſus ſervierat, Jovis ſimulachrum confecit, confectumque collocavit in urbis eminentiſſimo loco. Quod cum religioſiſſimè coleretur, ſimulachrum ex eo conflatum eſſe dixit, in quo prius pedes Ægyptii lavabant, nunc autem religioſiſſimè coli: idem ſibi contingere, qui prius plebeius, nunc eorum Rex eſſet. (*Herod.lib.2.*) Cùm Iphicrati, patre ſutore nato, generis ab Harmodio obſcuritas objiceretur, *Meum*, reſpondit, *à me ipſo genus initium ſumit, tuum autem in te deſinit.* (*Plut.*) TULLUS HOSTILIUS paſtor, quartus Romanorum Rex eſt creatus. (*Liv. lib.1*) L. TARQUINIUS PRISCUS, mercatoris filius, Romæ quintus Rex eſt factus (*Ibid.*) Servius Tullius, ancillæ filius, rectè & laudabiliter Romæ imperium gubernavit. (*Ibid.*) TERENTIUS VARRO, Lanii filius, Conſul Romæ factus eſt. (*Val.Max.l.3.*) M. PORTIUS CATO ignobili loco ignobilis ortus, optimus & Senator, & Imperator, & Orator eſt habitus. (*Plut.*) C. MARIUS loco humili obſcuroq; natus ſepties Romæ Conſul eſt factus. (*Idem*) M. TULLIUS homo novus, in conſulatu multis aliis prælatus, *Pater Patriæ* dictus eſt. (*Idem & ipſe 2. Agrar. & pro Sylla.*) AUGUSTI Imp proavus Reſtio, avus argentarius fuit (*Suet.*) DIOCLETIANUS ſcribæ filius (*Pomp. Lætus, Aurel. Vict.*) GALERIUS

MAXI-

MAXIMIANUS, parentibus agrariis prognatus, paſtor primum armentorum fuit. (*Cuſpin.*) BAMBA ab aratro ad principatum evectus, & in Regem Hiſpaniarum electus eſt. (*Ritius lib. 2. Regum Hiſp.*) PRÆMISLAUS ruſticus Bohemorum Rex factus eſt. (*Cromer. lib. 2.*) PIASTUS, agricultura & mellificio vitam ſuſtentans, Polonorum ſceptrum obtinuit, (*Ibid.*)

*II. à more Dei*: is enim ſuſcitat *à terra inopem & de ſtercore* erigit *pauperem.* (Pſal 112.) JOSEPHUM è carcere evehit ad honores & dignitates: (*Gen.* 41.) GEDEONEM frumenta purgantē, (*Iudic.* 6.) DANIELEM captivum, (*Dan* 8.) MARDOCHEUM contemptum, & ad mortem condemnatum (*Eſther.* 10.)

*III. ab iis, quæ in Magiſtratu legendo ſpectanda ſunt*: maximè enim in eo virtutis habēda eſt ratio: (*Plato in Menexeno.*) neque tam homines, quàm hominum actiones conſiderandæ ſunt.

*IV. à commodis*, Cum etiam tenuioris conditionis homines promovētur, oritur amor & benevolentia civium in Magiſtratus, & excitatur virtutis ſtudium, & diligentia in rebus peragendis.

*V. ab incommodis.* Qui præter genus nihil habent, non virtute præditi, nec doctrina tincti ſunt ad gubernacula adhibiti, nō plus proſunt, quàm obſoniorum fumus inanis ad corpus nutriendum prodeſt, qui tantùm nares provocat.

*VI. à παρεκβάσει (digreſſione) filiorum magnorum virorum.* (Heroum filii noxæ, ſeu παρέκβασιν faciunt, hoc eſt, deficiunt) Multi enim ſunt degeneres, qui generoſiſſimarum imaginū decus, in aliquod dedecus devolvunt, & lucem à majoribus acceptā in tenebras convertunt. (*Valer. lib.* 3.) Fiunt autem digreſſiones tales, vel indulgenti educatione apud parentes, qui φιλοστοργίᾳ ardentiori utuntur, vel inſtitutione negligenti apud publicis negotiis occupatos. (*Plut. de educ. lib.*)

*In* Epilogo *dices*, iis qui ſolis reb⁹ geſtis ac meritis majorum ac parentum ſuorum freti honores ac officia petunt, reſpondendum eſſe quod Antigonus II. adoleſcenti cuidam reſpondit, qui patris fortis, ipſe non fortis, ſtipendium petiit: *οὐ πατραγαθίας ἀλλ᾽ ἀνδραγαθίας ἕνεκα*: non ob patrias, ſed proprias cuiusque viri virtutes mercedem ac munera dare ſoleo. (*Plut. in Apoph.*) cùm verò veteris proſapiæ multarumq; imaginum homines in obſcuris virtutem deſpiciunt, dicendum quod apud Saluſtium Marius dicit: tales ſemetipſos ac majores ſuos deſpicere, quibus etiam ex virtute aliquando nobilitas cœpit. (*In bello Iugurth.*)

## *VI. MAIORES MAGISTATVS NON debere eſſe annuos atq; ambulatorios, ut minores, ſed perpetuos.*

In Exordio *fateberis*, minores magiſtratus debere eſſe annuos & mutabiles, ne ad faſtum, ac tentandas res novas extollantur, & ut honores non paucis, ſed plurimis civibus pro ſuis meritis tribuantur, atq; ita invidia tollatur, & ſeditionum ac diſcordiarum fibræ evellantur.

*In* Propositione: Te probaturum majores magiſtratus debere eſſe perpetuos.

Confirmationis I. Ratio *ab incommodis mutabilis Magiſtratus*: Primò, quia omnis in Rep. mutatio ſolet eſſe pernitioſa: & ut in corpore victus ratio mutata parum prodeſt, ita Magiſtratuum in Rep. mutatio nequaquam eidem commodat: cùm à Magiſtratibus novis nova conſilia, novæ leges, nova rerum omnium facies ad Remp. ſoleat promanare. (*Ariſt. 2 Polit. c. 6.*) Secundò, annui Magiſtratus, ac pauco tempore circumſcripti hoc habent, ut cùm quis aliquid in his didicerit, prius decedat, quàm ejus exhibere ſpecimen poſſit. (*Dio. lib. 52.*)

*II. à*

*II. à commodis perpetui Magiſtratus*: PRIMÒ: Qui iisdem rebus perpetuò præſunt, etiamſi minus ingenio valeant, longa tamen experientia cæteris antecellunt. SECUNDÒ: Ita ſubditis melius conſulitur. Vnde Tiberius Imperat. cùm amici quererentur, illum poteſtates & imperia perpetua feciſſe, reſpondit: Hirudines, quæ multò ſanguine hauſto rumpuntur, quieſcere; recentium morſus acerrimos eſſe: ſic novos Magiſtratus quidquid ſanguinis eſt & medullarum ſumma aviditate haurire, ut veteri proverbio dicitur,

*Non parcit populo regnum breve.*

*III. à Neceſſitate.* Nam cum authoritate ac majeſtate imperare non poteſt, qui ſe brevi privatum fore metuit: majeſtate verò imperandi ac dignitate detracta, Magiſtratui quis parebit? quis metu contineri poterit? quis imperata exequetur? Sin poteſtas perpetua erit, & cum dignitate imperabitur, & cum obſequio parebitur: nec Magiſtratui metuendum erit, ne aliquando privatorum contumelias, aut improborum calumnias ferre cogatur.

*IV. ab Exemplis*: Deus ipſe Magiſtratus ac Judices perpetuos conſtituit; eosdem ſua in Rep. Plato requirit.

*In* EPILOGO *monebis Auditores*, ut bonos Magiſtratus non temere mutent.

## *VII. MELIVS PVBLICE, ET IN Scholis, quàm privatim juventutem inſtitui.*

IN EXORDIO *docebis* ex Speculo meo Magiſtratuum (*ſign.59.*) quam utilis & neceſſaria ſit pia juventutis educatio, & inſtitutio.

*In* PROPOSITIONE *dices*, te oſtenſurum melius publicè, quam privatim inſtitutionem hanc adhiberi.

CON-

CONFIRMAT. I. RATIO, *ab incommodis privatæ*
*nſtitutionis*; quod liberi domi corrumpantur adu-
ationefamulorum, negligentia patrum, indul-
entia matrum, oſcitantia pædagogorum, con-
erſatione cum improbis. (*Quintil. lib. 1. Inſtit.*
*ap.2.*)

*II. à commodis, publicæ inſtitutionis.* Nam PRIMÒ,
nter educationis formas excellentior, & conſtan-
ior eſt, quæ conſiſtit in Sapientia & conſenſu to-
ius civitatis, quam quæ ab unius alicuius judicio
endet, ideoque crebrò mutatur. SECUNDÒ, ſem-
er anteponendum eſt lumen tenebris, maximè
s, qui non ſibi ac Muſis ſuis, quod ajunt, canere,
d in luce aliquando, ſplendore ac gloria vivere,
hominum oculis habitare, forum vel Cathe-
ram premere, atque conſulere exoptant. TER-
iò, paratur in ſcholis publicis prudentia. QUAR-
ò, prodeſt in iis multum æmulatio; commo-
ant laudationes, emolumenti plurimum adfe-
unt vituperationes. QUINTÒ, authoritas con-
liatur: ita olim Medicis, ſatis erat dicere, ſe
lexandriæ ſtudiis operam dediſſe. SEXTÒ, ami-
itia etiam contrahitur firma & conſtans, neque
uicquam ſanctius eſt, quàm iisdem artibus im-
ui, iisdem ſacris initiari. SEPTIMÒ, confert publi-
a inſtitutio ad modeſtiam, privatim verò inſti-
uti, quia cum nemine ſe comparant, ſolos ſeſe ſa-
ere, alios tanquam umbras volitare arbitrantur.
(*Quintil. lib. 1. Inſtit. cap. 2.*) OCTAVÒ, prodeſt eo
nomine, ut qualis ſit doctrina, quæ traditur, ap-
pareat; ne adoleſcentes decipiantur. Quæ cau-
ſa Imperatores movit, ut ab oſtentatione vulgari
amoveri juberent, qui magiſtrorum ſibi nomina
uſurpantes, in cellulis Collectos undecunque di-
ſcipulos circumferre conſueverunt. (*Lib. 11. Cod.*
*lib. 13.*)

*III. ab Exemplis.* Lycurgus publicè informa-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tionem voluit fieri, imò ita aſſuefecit cives ſuos, ut ne vellent, nec ſcirent, privatim vivere, ſed apum more ad Rempub. ſemper eſſent conglobati. *Plut. in Lycurgo Xenoph. in Rep. Spart. Ariſt. 3. Pol. cap. 1.*) & paſſim Imperatores conſtituerunt Academias, easque privilegiis, & immunitatibus donârunt.

## *XVIII. LICITVM ESSE CHRISTIANO cauſas in foro agere, ſeu judicio experiri.*

IN EXORDIO *dices*, neminem ferè tam ſecunda & ad voluntatem fluente fortuna uti, qui non vel ſuo, vel ſuorum nomine jure res experiri, ſeu lites atque controverſias ſuas judicibus dirimendas committere neceſſe habeat.

*In* PROPOSITIONE, Te eos, qui Chriſto nomen dederunt, coram Judice contendere poſſe oſtenſurum.

CONFIRMATIONIS I. RATIO, *ab authore ſeu cauſa efficiente judiciorum*, quæ Deus ipſe inſtituit, & eorum miniſtros voluit eſſe Judices. (*Gen. 8. Exod. 18. Deut. 1. 2. Par. 19. Sap. 6. Rom. 13.*)

*II. ab exemplis.* PRIMÒ *Chriſti*: cùm enim à ſervo Pontificio cæderetur, eum vituperavit. SECUNDÒ *Pauli*, qui in Actis (*Actor. 25.*) ad Cæſarem provocavit.

*III. ab utili*: Quia Reip. firmamentum in juris æquabilitate & integritate judiciorum conſiſtit. (*Demoſt. in orat.* περὶ συντάξεως.) Et utile eſt accuſatores multos in civitate eſſe, ut metu audacia contineatur. (*Cic. pro S. Roſcio.*

*IV. à Neceſſario*: Si enim Leges ſunt neceſſariæ, & ſine his nec domus ulla, nec civitas, nec gens ſtare poteſt: (*Cic. 3. de Leg.*) etiam Judices erunt neceſſarii, qui Legum interpretes ſunt, (*Cic. pro Cluent.*)

*Cluent.*) & easdem in effectum producunt. (*Iuſtin. in Conſt.* 10061.)

*In* CONFUTATIONE *franges argumenta, quæ in negantem partem adferri poſſunt.* Ac PRIMÒ quidem reſpondebis ad dictum Chriſti, quo jubemur non reſiſtere malo, & obvertere alteram maxillam ei, unam qui percuſſerit. (*Matth.* 5.) Dices abuſum hoc dicto etiam eſſe Julianum Apoſtatam, cùm Chriſtianis querelas de injuriis illatis moventibus reſpondit, Chriſti amorem eſſe τὶ κακοπαθεῖν, injurias perferre. (*Ammianus Marcell. lib.* 22.) Sed dictum hoc ultionem privatam prohibere aſſeres, & velle, ut potiùs à judicio deſiſtamus, quam Chriſtianam Charitatem violemus, & temerè lites moveamus. SECUNDÒ, ad id, quod Apoſtolus (1. *ad Corinth.* 6.) reprehendit Corinthios, quod inter ipſos ſint judicia, reſpondebis, Apoſtolum non damnare judicia; ſed in Corinthiis reprehendere, quod ſint contentioſi, & cauſas apud gentiles & infideles agant. TERTIÒ, ad id, quod nemo non ſic ratiocinatur: Deus per improbos & injurioſos nos exercet, ergo his judicio occurrere non licet, ne divinæ voluntati reſiſtere videamur, ad hoc, inquam, dices: Non, quia Deus, per improbos, ſuos exercet, idcirco improbitas non punienda. Et ut Deus aliquando morbos immittit, non tamen prohibet, quo minus medicis & pharmacis utamur: ita & judicia ac media legitima idem vult adhiberi, cùm injuria ab aliis afficimur.

Injuriæ judiciis legitimis ſunt tollendæ.

*In* PERORATIONE *monebis Auditores*, ut quemadmodum antequam bellum moveatur, omnia prius experiri ſapientem decet; ita operam velint dare, quò per arbitros controverſiæ componantur, cum per eos quàm primùm & minima cum moleſtia res transigatur. (*Cic. pro Quinctio.*) & hoc humanius ac tutius ſit: ſi verò

id obtinere non poſſint; tum demum ſummo jure experiantur. Addes quod judicia non in dirimendis duntaxat controverſiis; verum etiam maleficiis puniendis ſint occupata: (*Cic. pro Cæcinna.*) ideoq; nequaquam eſſe contemnenda.

## *IX. LEGES REP. NON ESSE tollendas.*

IN EXORDIO *dices*, malis ſudes in oculis, & exoſas eſſe bonas Leges.

*In* PROPOSITIONE, Te eas in Rep. eſſe neceſſarias probaturum.

CONFIRMATIONIS I. RATIO, *ab Etymologia nominis Græci*, Νόμ☉: dicitur enim ἀπὸ τοῦ νέμειν à tribuendo, quod unicuique ſuum tribuat.

*II. ab utili vel effectis Legum.* Nam PRIMÒ frænant & coërcent, tanquam vincula Reipub. hominum cupiditates. (*Plat. de Leg.*) SECUNDÒ, non ſolum ſunt potentum frænum, ſed & auxilium infirmorum (*Caſſiod.*) TERTIÒ, ſunt Magiſtratibus quaſi murus adverſus vulgi importunitatem, dum impediunt mala, ne oriantur? & corrigunt, ac evellunt, quæ irrepſerunt. (*Leo Imp. in Procemio Novell. Conſtit.*) QUARTÒ, ſunt quaſi oculi, atque adeò anima & ſpiritus Reip. (*Leo Imp. Conſt. 19.*) & regulæ juſtorum & injuſtorum, (*Lib. 1. Digeſt. tit. 3.*) imperantes honeſta, prohibentes contraria. (*Cic. 11. Philip.*)

*III. à cauſa efficiente præſtantiſſima.* Eſt enim Lex ordinatio & donum Dei è divino mentis ſacrario in ſapientum animos profecta. (*Demoſth. contra Ariſtogit.*) Quod etiam Ethnicorum Legumlatores ſunt faſſi. Nam Minias Rex Ægypti, qui omnium primus illis leges tulit, harum authorem Mercurium conſtituit, Minos in Creta Jovem, Lycurgus Apol-

Apollinem, Zamolxis Veſtam, Numa Nympham Egeriam

*IV. à fine*, qui eſt virtus, (*Plato lib. 3. de legib.*) ne quis improbè & iniquè vivat, & ut, punitis iis, qui jus violarunt, meliores alii evadant (*Demoſth. adverſus Ariſtogit.*) Illuſtrabis hoc ſimili: Quemadmodum magiſtri in ſcholis pueris iis, qui ſcribendi nondum facultate valent, lineas calamo ſubjiciunt, & exemplar exhibent, ut ex illarum linearum ductu ſuas pueri literas conforment: ita Reſp. ſub certa Legum formula unumquemque vivere civium cogit. (*Plato in Protag.*) Adhæc latæ ſunt Leges, ut maneat vita noſtra beata & quieta. (*Cic. 2. de Legib.*) Dum enim hæ conſervantur, pax & concordia viget, (*Plato 1. de leg.*) bona & facultates cuiusque defenduntur. Vt enim fundus ad nos perveniat, teſtamento fieri alicuius poteſt, ut retineamus, quod noſtrum ſit factum, ſine jure civili non poteſt. (*Cic. pro Cæcin.*

*V. à neceſſario.* Sine legibus ſi vivunt homines, nihil à feris & beſtiis differunt: (*Plato 9. de leg.*) ſine his nulla domus, nulla civitas, nulla gens, imò nec ipſe mundus conſiſtere poteſt: (*Cic. 3. de Leg.*) multò minus ſine his libertas manet, ſed oritur ſervitus, ingruit bellum ac ſeditio. (*Dionyſ. Halic. lib. 7.*) Hinc legum ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. (*Cic. pro Cluentio.*)

*VI. ab Exemplis*, IUDÆI Dei Opt. Max. voluntate & juſſu Legis divinæ mandata ſcripta ferebant in manibus & fronte, habebant in limine domus, ut harum nunquam obliviſcerentur (*Deut. 6.*) ROMANI armis & legibus ſe exercentes orbem terrarum ſuum fecerunt: & quidem armis conſtrinxerunt, legibus conſervarunt. Nec ulla uſquam vel mediocris Reſp. ſine certis legibus fuit.

*In* CONFUTATIONE *reſpondebis ad objectiones, quæ contra neceſſitatem Legum poſſunt moveri.* PRIMÒ, ad id, quod Magiſtratus ſæpè Legibus abutuntur, dices, id fieri vel imperitia, vel malitia quadam hominum; & eſſe omnium rerum præclararum abuſum, ſola virtute excepta. (*Ariſtot. 7. Rhet. cap. 1 Quintil. lib. 2. Inſtit. cap* 17.) SECUNDÒ, ad id, quod impii dicunt, Leges eſſe tyrannos hominum, dices: Legem bonam non cogere inſtar tyranni, ſed cavere inſtar prudentis dominæ, ne quis malè agat. (*Plato in Protag.*) TERTIÒ, ad id, quòd aſſerunt, hominibus, non legibus eſſe obtemperandum, dices: hominibus leges anteponendas eſſe, cùm inter amicum & inimicum nullum faciant diſcrimen, coërceant cupiditates, naturam ad vitia per ſe pronam, regant, & ad virtutem flectant, nihilque tribuant affectibus. (*Ariſt. 1. Pol. cap. 12. & 3. cap. 15. Rhet. lib. 1. cap. 1.*) ubi enim ſunt affectus, ibi verum pervideri non poteſt (*Saluſt. in Conjurat. Catil.*) res nequit inſtitui conſilio & cogitatione: (*Senec. Epiſt.* 16.) ut amatores propter amorem, oculorum ſenſum prementem, de forma judicare rectè non valent. (*Quintil. lib. 6. cap. 3.*) *Plato* interitui eſſe vicinam Remp. illam ſcribit, in qua non Magiſtratibus Leges, ſed Legibus Magiſtratus imperant. (*in Critia.*) QUARTÒ, ad id, quòd dicunt, Leges nonnullas eſſe iniquas, reſpondebis, impiam conſtitutionem, Legis nomen non mereri. (*Cic. 1. de Leg.*) QUINTÒ, ad id, quod ajunt, non decretis, ſed bonis moribus civitatem eſſe gubernandam, dices, ſi mores boni ſunt, in legem transferri poſſunt, ut firmius obſerventur: (*Ariſt. 7. Pol. cap. 2.*) ſin mali quid & injuſti continent, Lege ſola emendandi ſunt. (*Ibid.*) Leges etiam ſine moribus nihil valent.

*In* EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut cogitent

tent perpetuò, quam nobis cordi debeant eſſe Leges.

## X. *CORPORA DEFVNCTORVM honeſtè eſſe ſepelienda.*

IN EXORDIO *referes*, nationes multas olim multam rationem ſepulturæ habuiſſe. Nam PERSÆ canibus & avibus ante demortuos objecerunt. (*Herod.lib.*1.) INDI ſepulchra multa habuerunt. (*Cæl.lib.*19.*cap.*30.) PARTHI, BACTRIANI, & CASPI canibus domi ad hoc officium nutritis dilaniandos mortuos objecerunt (*Bonifin.lib.*1.*rerum Vngaricar. decad.*1.) MASSAGETÆ propinquos & cognatos ſuos, ubi ad multam ſenectutem veniſſent, vel aliquo caſu mors viſa eſſet appropinquare, mactatos ante, magnifico apparatu devorârunt. COLCHI defunctos ſuos non ſepeliverunt, ſed de arboribus ſuſpenderunt.

*In* POSITIONE *dices*, Te oſtenſurum, nobis Chriſtianis ſepulturam nequaquam eſſe negligendam.

CONFIRMATIONIS I. RATIO, *ab Exemplis Sanctorum, qui eam non neglexerunt*. Nam ABRAHAM legitur agrum emiſſe pro ſepultura ſua & uxoris ſuæ, (*Gen.* 25) ibidemque poſt ſunt ſepulti Iſaac, Jacob, & alii. DAVID Rex Saulem Regem & filios ejus ſepelivit, (*Reg.*21.) Hieroſolymis in monte Sion Davidis & aliorum Regum fuerunt ſepulchra: humati ibidem ſunt Salomon, Roboam, Ezechias & alii (3. *Reg.* 2. 2. 11. & 14. 2. *Paralip* 32.)

*II. ab Exemplis etiam Ethnicorum.* ATHENIENSES illis, qui adverſus Philippum ad Cheroniam pugnantes occubuerant, ſepulchra publicè exſtruxerunt (*Demoſth. in Orat funebri.*)

*III. ab adjuncta turpitudine neglectæ ſepulturæ.* Nam legimus pœnæ loco à Joſua capros Reges inſepultos fuiſſe abjectos; ut & Goliathi corpus, (1.Reg.17.) Jeſabelis Reginæ Achabi, (4.Regum 9.) Joachimi Judæorum Regis, (4.Reg.24.) Et in jure graviſſimæ pœnæ loco habetur, non permitti ut corpora ſepeliantur. (*Digeſt. lib. 84. tit. 24. de cadaveribus punitorum.*) David inter alias querelas etiam hanc adfert, quod tyranni ſervorum Domini cadavera inſepulta relinquant.

*IV. à fine ſepulturæ multiplici, eoque honeſtiſſimo.* Nam inventa eſt ſepultura PRIMÒ, ne fœtor & horror ſit vivis. (*Thom. lib. 4. Sent.*) SECUNDÒ, ut leniatur luctus eorum, qui ſuis ſunt orbati. (*Demoſth. in orat. funebri.*) TERTIÒ, ut cives alii, ſuperſtites adhuc, ad bene fortiterque rem gerendam animentur, & alacriores reddantur. (*Ibid.*) QUARTÒ, quia mortuorum corpora, dum vixerunt, fuerunt organa Spiritus Sancti. Quemadmodum ergo amicorum annulos, veſtes, libros, & huius generis alia non contemnimus: ita neque mortui negligendi, aut inſepulti abjicendi ſunt. QUINTÒ, ob reſurrectionem mortuorum. (*Thom. lib. 4. Sent.*) SEXTÒ, ut ſic piam inſtituamus mortis & fragilitatis vitæ humanæ meditationem. (*Cæl. lib. 17. cap. 17.*)

*V. à teſtimonio juris Civilis.* Hoc enim actionem ſepulchrorum violatorum inſtituit. (*Digeſt. lib. 17. tit. 12. de ſepulchro violato.*)

*In* EPILOGO *monebis Auditores*, ut ſepulturæ proximorum diligentem habeant rationem.

(*Vide P. Gretſeri lib. tres de funere Chriſtiano.*)

*XI. IN-*

## XI. *INGENUUM DEDECERE ADOleſcentem, contra Magiſtri mandatum, aquas lavandi gratia, ſeu ut lavetur, ingredi.*

EXORDIUM: Homines paulò prudentiores ab iis ſe rebus facilè abduci patiuntur, quæ cum aliqua turpitudinis labe periculoque quopiam ſunt conjunctæ.

PROPOSITIO: Cùm tuos in liberalibus ſtudiis ſocios ab aquarum hoc tempore ingreſſu cupias eſſe alieniſſimos, tibi propoſitum eſſe affirmabis, & inſignem turpitudinem, & haud exigua pericula illi ineſſe declarare.

CONFIRMATIONIS I. RATIO *à fine veſtium.* Primi parentes noſtri quanto quidẽ tempore inditam ſibi à Deo juſtitiam ſartam tectam conſervabant, nullius veſtium uſus ipſis ſerviebat: poſteaquam verò ſeſe peccato obſtrinxerunt, ad aſpectum ſuæ nuditatis verecundiam conceperunt, veſtesque neceſſarias conſuerunt, ad eandem obtegendam. Iam verò quantæ dementiæ eſt, hanc primorum parentum prudentiam ſpernere? quantæ impudentiæ veſtes removere, ac nudum in aliorum ſe conſpectum dare? *Amplificari à minori:* Apud *Ægyptios* nudatis ſolùm pedibus in publicum prodire nefas cenſebatur: *Perſis* capitale fuit nudũ hominem conſpexiſſe. Quod ſupplicium igitur ſatis dignum conſtitueretur in Chriſtianos, eos, qui cunctis ſeſe integumentis evoluunt, ſicq; non hominum duntaxat, ſed & cœleſtium Spirituum, & immortalis Dei conſpectum ſubeunt? confer illorum Ethnicorum utilitatem cum Chriſtianorũ præſtantia; & hominum, quos illi verebantur, humilitatem cum præpotentis Dei Majeſtate.

II. Dedecet hæc res juventutem, quòd in ea Magiſtrorum imperia ſpernantur, quæ ſumma religione

one obſervanda forent: quia S. Paulus nos monet, ut Præpoſitis noſtris obediamus, & authore Philone, præcipua diſcipulorum virtus eſt, Magiſtro obtemperare, eumque imitari. Hoc enim Præceptorum in diſcipulos charitas, immenſique labores jure ab ipſis poſtulant, & requirunt. Eam obedientiam Magiſtris negare, quæ tanto jure debetur nequaquam liberaliter nati atque educati adoleſcentis eſſe aſſeres. ) *Vide* Q. Curtium *de Alexandro Magno*, & Jovium *de infelici caſu Friderici Imp. Germ* )

III. *ab adjuncto periculo*. Cùm fieri ſæpenumerò ſoleat, ut vel in voragines ejusmodi balneatores incidant, vel fluminis vi abripiantur, vel ſpaſmus ipſos invadat, ſæpè etiam uſu venit, ut aquis ſuffocentur. Cujus rei gravitatem ex eo oſtendes. PRIMÒ, quòd tali nuntio parentibus amicisq; nullus atrocior queat accidere: cùm quòd plurimi ſumptus adhibiti in ſtudia perierint; tum vel maximè quòd chariſſimis ipſis pignoribus ſit carendũ. SECUNDÒ, quòd præſens perpetuæ damnationis periculum incurratur, dum ſuperiorum mandata cõtumaciter ſpernuntur, dumq; nullum ſuppetit otium aliquem ſuorum peccatorum doloris ſenſum admittendi.

*In* CONCLUSIONE *monebis Auditores*, ut verecundiæ & pudoris memores, ad animum ſæpius ſuum revocent, quàm id Chriſtianis indignum ſit, ſi ab Ethnicis honeſtate vincantur: quàm æquum ſit audientem ſeſe Præceptorum mandatis præbere: quantum prudentem deceat hominem periculorum occaſionem declinare. Addes potius, ſi neceſſitas ſit, balneis ſeſe calidis committant, ſicque periculum omne, aliquam etiam turpitudinis partem effugiant.

*VII. DI-*

## *VII. DIVITEM ET PAVPEREM ſcientia ornatos eſſe oportere.*

EXORDIUM *duces à rei ipſius præſtantia.* Magna & incredibilis ſcientiæ eſt dignitas, & ita incredibilis, ut ſi Demoſthenes, vel Cicero in hunc locum conſcẽderet, ſatis peritè, copiosè, & ornatè tantam excellentiam ejus nequaquam poſſent dicendo aperire. *Hinc benevolentiam captabis à tua & adverſariorum perſona, dicens:* Maximè in hac dignitate demonſtranda commoveor, cùm nec ingenium, nec ſcientia, nec dicẽdi facultas ſit in me multa. Moveor etiam, cùm video tam diverſa hominum ingenia, tot diſcrepantes & diverſas ſententias eorum, qui non æquè diviti ac pauperi ſcientiam attribuendam eſſe volunt. Quis enim ex vulgi multitudine diviti ſcientiã neceſſariam eſſe putat?

*In* PROPOSITIONE *dices*: Te oſtenſurum, divitem non minus, imò multò magis rerum cognitione debere valere, quàm pauperem.

CONFIRM. I. RATIO *à neceſſario.* Niſi enim quis ſcientias & artes excolat, naturæ humanæ repugnare judicabitur. Siquidem nihil eſt tam proprium hominibus à natura tributum, quàm deſiderium ſcientiarum. Hinc Cicero 1. de Off. (*vide initium lib. 1. de Off.*) & Ariſt. l. 1. Metaph. c. 1. docent, omnes à natura trahi ad ſcientiæ cupiditatem.

II. *ab utili.* Scientia pauperibus maxima proponit præmia: apud principes viros gratiam, dignitates, opes, &c. Exemplo ſint Cicero, Pythagoras, Demoſthenes, & alii. Adrianus VI. Pontifex per doctrinæ excellentiam ad ſummi Pontificatus culmen evectus eſt. Dives verò multò magis præditus eſſe debet diſciplinis, quàm pauper:

quia

quia pauper privatus, dives publicus eſt; pauper ſui tantùm curam gerit, dives multis præeſſe debet; pauper in ædibus manet ſuis, dives in curia verſatur: quæ omnia dives præſtare non poteſt, niſi ejus ſermo rerum cognitione effloreſcat: neq; verò ullus tam dives eſt, qui nō gratiam, aut opes, aut dignitatem majorum expetat.

III. *à jucundo.* Hîc enumerabis delectationem, quàm ſingulæ pariunt facultates.

IV. *à facultate litterarum.* In ſcientiis omnia ſunt aperta: ſunt Profeſſores doctiſſimi, qui eas explanant; plures jam, quàm unquam extant libri: hominis ingenium eſt perſpicax, & acutum, ut ſi illud bene regat, nō unam ſolùm facultatem, ſed omnes complecti perfacilè poſſit.

V. *ab exemplis eorum divitum, qui litteras adamarunt.* Si enim mente circumſpexerimus omnem antiquitatem, apparebit præſtantiſſima quæq; ingenia literarum ſtudiis in primis ſe conſecraſſe, & hanc induſtriam olim præcipuè virorum illuſtriū extitiſſe, adeo quòd in maximis & florentiſſimis imperiis complures non minus pulcerrimarū rerum ſcientia, quam potentia Regni, aut Imperii magnitudine ſint delectati. Quid Epaminondas ille maximus Dux Thebanorum, cum quæ patriæ gloriam natam, & extinctam ſimul ferunt, nonne tanto literarum ſtudio, tanta Phi. doctrina præſtitit, ut multi admirentur, unde illi, nato atq; occupato ſemper inter litera inſignis illa malitiæ ſcientia eſſe potuerit, quæ in eo poſtea, ac Reipub. ſuæ gubernacula admoto, apparuit atq; conſpecta eſt? PHILPPUS MACEDO, hujus, *Epaminondæ*, ſummi & Philoſophi & Imperatoris virtutibus eruditus, quantum diſciplinis liberalibus tribuerit, clariſſimè indicat quadam epiſtola ad Ariſtotelem, qui de filio ſibi recens nato tantopere gratulatur, potiſſimum tanti Philoſophi temporibus ſibi contigiſſe

giſſe illum naſci, cuius magiſterio eruditum ſperaret eum, & ſe patre & maximarum rerum ſucceſſione dignum omnino brevi evaſurum: Neq; ea patrem opinio fefellit. Nam quòd ALEXANDER rerum à ſe geſtarũ gloria MAGNI poſtea cognomentum accepit, non tam id regiæ fortunæ præſidiis, quàm liberalibus diſciplinis eſt conſecutus. Quarum adeò apperens erat, & quanquam in ultimo ferè Oriente poſitis caſtris, efferarum nationum bellis undiq; diſtringeretur, ex animo tamen ſuo ſtudiorum curam nunquam abjecerit, imò litteris ad Ariſtotelem ſcriptis dixerit, longè ſibi videri præſtantius doctrina, quam opibus cæteros anteire. Idem ALEXANDER magna uſus eſt in homines doctos liberalitate, *Eleo Pyrrhoni* millia aureorum decem dono dedit: *Xenocrati* talenta quinquagẽta muneri miſit: *Oneſicratum* gubernatorum præfectura ornavit. Quantus etiam bonos ſtudiis habitus ſit à PTOLOMÆIS Regibus Aegypti, documento eſt ingens numerus librorum ab eis vel cõquiſitus, vel confectus, & millia ferè voluminum ſeptingenta. Iam in ATHENIENSIUM Reipubl. nemo fermè unquam præfuit, niſi eruditus. Quis doctior PISISTRATO? Quis *Pericle* eloquentior, qui Athenas rexit annos quadraginta? Quòd autem longè referre exiſtimarent Græci, à doctisne, an ab indoctis regerentur, ipſi *ſeptem*, qui uno tempore vocabantur *Sapientes*, indicant, quippe qui omnes, præter unum *Thaletem Mileſium*, ſuis civitatibus præfuerunt. Agite jam qui viri rem ROMANAM gubernare ſunt ſoliti? Quis unquam ad honores & Remp. gerendam acceſſit in illo imperio nudus & inermis, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornatus? ut omittã *Scipiones, Lælios, Craſſos, Antonios, Catones, Cæſares, Varrones, Nigidios, Hortenſios*, & propè innumerabiles alios, an non *M. Ciceronis* domum doctorum hominum familiaritate

ſem-

ſemper floruiſſe & celebratam fuiſſe legimus? Vt inſignem eruditionem Cæſarum, *Iulii*, *Octaviani*, *Germanici*, *Caligulæ*, *Claudij*, *Galbæ*, *Ottonis*, *Vitellii*, *Veſpaſiani*, *Titi*, *Hadriani*, *Antonini Pij*, & aliorum præteream; nunquid *Antoninus* Imperator, *Philoſophus* cognominatus, ut erat doctiſſim9, ita omnes doctos ſemper magni fecit? Tantum fuit in eo ſtudium Philoſophiæ, ut adſcitus jam in Imperatoriam dignitatem, ad domum tamen *Apollonij* penè quotidie diſcendi cauſſa, ventitaret. Tantum etiam Magiſtris ſuis honoris impendit, ut eorum aureas ſtatuas haberet in Larario, ac ſepulcra adytis, hoſtiis, floribus ſemper ornaret. Sciebat ſiquidem, non tam opibus, aut fumoſarum imaginum titulis, quàm virtute & doctrina nobilem ab ignobili diſcerni. Hinc eſt, quod eleganter *Sidonius* ait: Antiquorum Ducum dexteram non minus ſolitam ſtylum tractare, quàm gladium: quia neſcire bonas artes tunc præcipuè probro erat Nobilibus.

*In* CONFUTATIONE *refutabis eos, qui ſcientiam divitibus ac nobilibus non ita decoram putant, & quæres*: Si ſtudiis nolint ingenia adoleſcentium nobilium alligari, quibus tandem modis ea velint occupari? Hîc varia ſtudia enumerabis, quibus volent nobilem juventutem diſtineri, eaq; omnia reprehendes.

CONCLUSIO *continebit Apoſtrophen ad nobiles adoleſcentes*, qui ſuam nobilitatem bonis artibus ornare, & ſtudiis humanitatis, ſic dictis, quòd ex omnibus animantibus uni homini illorum cura data ſit, operam dare cœperunt, dicesque: Naturam, Deumque ipſum multis præſtantiſſimis animi, corporis, & fortunæ donis nobiles cumulaſſe, ut animum ad ſtudia appellerent, ipſosq; ſua conditione ac fortuna ad ſtudia vehementer incitari. Hanc illis neceſſitatem eſſe impoſitam, ut ſplen-

ſplendorem inſigniaque familiæ ſuæ augeant, vel certè eodem loco cõſervent: conſervabunt autem iis artibus, quibus acquiſita ſunt. Et certè ſtirpis decus abſq; litteris haudquaquam poſſunt cõſervare. Etenim non retinebunt celebrem opinionẽ, ſi in hominum cœtu & legationibus nõ melius quàm fungus aut ſaxum de rebus loquantur, ſi non juſtè officia delata adminiſtrent.

## *XIII. LAVS S. ANDREÆ.*

IN EXORDIO *dices*, S. Andream tantis virtutum ornamentis condecoratum fuiſſe, ut prætermittendum non ſit, quin jam mortuum ſummis honorum titulis ornemus, ipſiusque nominis decus ab oblivione poſterorum liberemus.

CONFIRMATIONIS *initium petetur ab eo*, quòd cum alii viam veritatis ingredi, & Chriſti doctrinam amplecti ſpernerent, aut negligerent, ipſe tamen ſine ulla cunctatione in Chriſti diſciplinam ſeſe tradidit, ejus commendatione à S. Ioanne percepta. Primus fuiſſe legitur eorum, qui Chriſti veſtigiis inſiſtere ſunt conati, & cauſam fratri ſuo *Petro* ſingulari quodam amore ſpirituali incitatus, converſionis dedit.

*Deinde exponetur*, quemnam ſe, Chriſto adhuc in terris agente, & eo ſublato in cælum præbuerit, partim vitam ſuam præclarè & ſine reprehenſione inſtituendo, partim aliorum ſaluti invigilando. In vita imitatus fuit Magiſtrum ſuum, qui ſimul *cœpit*, & *docere*, & *facere*, (Act. 1.) Charitas ejus ſingularis hinc apparet, quòd etiam ſciret fieri non poſſe, ut *Canaan* provinciam, quæ ſibi ſorte obvenerat, à falſo idolorum cultu ad veram Dei cognitionem ſine vitæ diſcrimine perduceret, non tamen à ſuſcepto munere animum avo-

avocavit, ſed eo flagrantiori ferventioriq; ſtudio partibus ſuis ſatisfecit, quo plures ſibi difficultates imminere adverteret.

*Tertiò commendabis ipſum ab inaudita animi conſtantia & fortitudine.* Legitur Proconſulem inſigni crudelitate, absque ulla trepidatione hunc in modum aggreſſus: *Recognoſce, ô Iudex hominum, adhuc in cælis verſari Iudicem: cognitum colas, & colẽdo eum, qui verus Deus eſt, animum à falſis diis revoces.* Conſtanter & intrepidè minas tyranni ſprevit, magna cum forittudine fidei ſuæ teſtimonium dedit, cùm in patibulo crucis vivus non ſolùm pendere tribus diebus non recuſavit, ſed etiam ab eo ſe liberari nõ permiſit. Hîc commenda Dei bonitatem, quòd permiſit vivum Apoſtolum pendere, quò, viſo hoc miraculo, plures & fidem, & ſervitutem Dei amplecterentur.

EPILOGUS *incitabit Auditores* ad virtutum D. Andreæ æmulationem.

## *XIV. CHRISTIANOS CIVILI MAgiſtratui ſubjectos eſſe debere.*

EXORDIUM *à cauſſa impulſiva*: quòd quidam Catholicæ religionis hoſtes perfricta fronte & impudenti ſuore publicè docere & ſcriptis edere audeant, Chriſtianos civili Magiſtratui non eſſe ſubjectos, ſed eſſe omnes Reges & Sacerdotes.

PROPOSITIO: Proinde te probaturum omninò eos civili Magiſtratui obedientiam debere.

CONFIRMATIONIS I. RATIO *à cauſa & authore Magiſtratus* qui eſt Deus: *omnis enim poteſtas à Deo eſt*, ut docui fusè *in Spec. Mag.* ſigno. 139.

*II. ab officio hominis Chriſtiani*, Quod eſt, Chriſtum audire, & mandata ejus exequi: at Chriſtus diſertè præcipit, ut *Cæſari* demus, *quæ ſunt Cæſaris*, & ipſe *didrachma* dedit pro ſe & Petro, & Magi-

ſtratui obedientiam præſtitit. Dedit, inquam, *didrachma*, ut nemini eſſet ſcandalo, quamvis ſoli alieni eius ſolutione tenerentur. *Amplifica hæc collatione imparium*: Quòd ſi Chriſtus & diſcipuli ejus hoc imperarunt, & obſervarunt, cùm Magiſtratus civilis adhuc Ethnicus erat, & idololatriæ crimine contaminatus: quanto magis nunc ei obtemperabimus, cùm ipſe fidei lumine illuſtratus eſt?

III. *à pari*: Quemadmodum parentes nobis honorandi ſunt, ſic & Magiſtratus: nam & hi in quarto decalogi præcepto nomine parentum intelliguntur

IV. *Ab utili*: qui Magiſtratui ſe ſubmittunt, eis indicto præcepto quarto divina promittitur benedictio.

V *à contrario*: præfracti ſibi damnationem acquirunt.

*In* COMPARATIONE *dices*, quosdam malè in depravatum ſenſum urgere illud 1. Petr. 2. *Vos genus electum, regale Sacerdotium*, cùm eodem in capite, non longè poſt dicatur: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ*. Unde patet, Petrum nequaquam ita eos Reges & Sacerdotes ſtatuere, ut nulli magiſtratui ſubſint: ſed ſpirituales potius, ut ſe ac ſuos affectus regant.

*In* CONCLUSIONE *cohortaberis Chriſtianos*, ut libenter Magiſtratum ſuum agnoſcant, & debito honore afficiant.

## *XV. DE GRATITUDINE.*

IN EXRDIO *dices*: Crebrò iis de rebus apud ingenuarum artium ſtudioſos ſermonem eſſe habendum, quæ hominum Deique immortalis benevolentiam nobis fauoremque conciliant.

*In* PROPOSITIONE. Cùm igitur inter alias

virtutes vel maximè hoc faciat *Gratitudo*, te Auditores ad ejus ſtudium incitaturum.

CONFIRMATIO *docebit*, eſſe colendam *Gratitudinem*, ſeu gratam animi benevolentiam erga bene de nobis aut noſtris meritos eſſe declarandam.

*Gratitudo reliquas virtutes cũctas lõgo poſt ſe intervallo relinquit. Nota cur hoc ſæculo liberalitas min⁹ exerceatur. Gratitudo producit ac procreat virtutes reliquas.*

I. RATIO *ab effectu*, quòd nusquam liberalitas ſe libentius exerit; quàm ubi gratitudo eſt. Atque hæ virtutes ſocietatem hominum magis conſervant, quàm ulla Legum vincula. Nam quæ poteſt ſtabilior eſſe Civitas, quàm ubi certatim alii benè mereri, alii parem perſolvere gratiam contẽdunt? ibi nulla diſcordia animos diſſipat; ſed omnia læta, omnia ſerena & tranquilla ſunt. Cicero pro Plancio probat, quòd virtus hæc non ſolùm maxima verùm etiam virtutum aliarum omnium mater ſit, cùm ex ea, veluti fonte quodam, virtutes aliæ egregiæ maneant ac profluant: *Pietas*, quæ eſt voluntas grata in parentes: *Bonitas*, quâ patriæ beneficiorum memores, multi de eadem bene mereantur: *Sanctitas & Religio*, qua Deo gratiæ perſolvuntur, acceptorum beneficiorum colitur memoria. Etenim qui ſunt qui religionem colunt, pietati ſtudent, Deum venerantur, ejusdem in ſe atque genus humanum totum beneficia agnoſcunt, eidemq; meritam, vel memori ſaltem mente perſolvere gratiam conantur? *Grati.* Vnde orationes ac preces? unde Hymni? unde ſacrificia? unde templa? unde in his anathemata? nonne à *Gratitudine* hæc cuncta profluunt? Qui ſunt, parentes qui amant, iisdem in omnibus, niſi divinis mandatis contrarium quid, atque turpe imperaverint, obtemperant? qui grata mente eorundem promerita agnoſcunt? qui & vitam, & nomen, & familiam, & educationem; & hæreditatem, & multa bona alia his eſſe accepta ferenda intelligunt?

gunt? *Grati.* Qui boni ſunt cives, & cùm togæ ac pacis, tum belli armorumque tempore de patria mereri egregiè ſtudent? qui eandem communis parentis loco habent, inque eius incolumitate ſuam conſiſtere ſalutem arbitrantur? *Grati.* Nunquam certè pro Romana Rep. ſeſe *Decii* devoviſſent, pugnaſſent pro ea *Horatii*, matronæ direpta monilia collo certatim ad bellum ſubminiſtraſſent, *Spardanus Leonides* cum trecentis ad Thermopylas pugnaſſet, alia alii viri fortes præſtitiſſent, niſi gratitudinem patriæ ſeſe ſuæ debere putaſſent.

*Alexandri Magni in Parmenionẽ Clytum Philotam ingratitudo, cæteras virtutes ejus deformavit.*

II. *ab effectu contrarii.* Nam ingratitudo amicitiam, rem omnium jucundiſſimam atque utiliſſimam corrumpit, ac deſtruit, cùm amicorum proprium ſit, bene non modò velle, verùm etiam facere, ac propterea inter ingratos & immemores eſſe amicitia nequeat. *Vel*: Ingratitudo vitia in ſe omnia complectitur. Nam ubi hæc dominatur, ibi nulla pietas, nulla religio, nulla amicitia conſtare poteſt: quibus ſublatis, nihil in rerum natura, quod magnopere expetẽdum ſit, manebit. Vnde veriſſimum illud: Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris. Amicitia nihil in hac vita aut eſt jucundius, aut neceſſarium magis, cùm nullæ ſint tam ad fortunam res fluentes, vel etiam opes tantæ, quæ ſine amicorum conſiſtere officiis poſſint: nihil in adverſis fructuoſius reperiatur, quàm habere, in quorum quaſi ſinum noſtras curas & ærumnas effundamus, quique eſſe tum ſolatio, tum auxilio nobis queant. Hæc autem ſublata gratia eſſe ſalua diuturnaque non poteſt. Corde, animo, viribus hoc præſtandum, quod prodeſſe atq; commodare amico videtur. Hinc Theognidis illud laudatur: Ne mihi vir ſit lingua amicus, ſed magis reipſa, & utroq; modo

do proſit: tum manibus commodet, tum opibus. Neque inter pocula verbis meam mentem oblectet, ſed opere præſtet, ſi quid poſſit bonum. *Illuſtrabis hac exemplo Macedonum*, qui graviſſimam legem adverſus ingratos ſanciverunt, propterea quod viderent, propter ingratitudinis vitium multos à benefaciendi ſtudio alienari, & ſuam benignitatem in alios claudere, cùm in malè gratos incidiſſent. (*Vide libellum* Gyraldi *de ingratitudine.*

III. *Ab argumentis, quibus Cicero in Orat, pro Plancio, poſt dicta duo priora argumenta, eſt uſus.*

PRIMÒ: Educatores, magiſtri, præceptores, locus etiam mutus, ubi quis eſt altus, aut doctus, nobis eſt acceptus, grataque cum recordatione in mente verſatur. SECUNDÒ: Grati animi memoria hominis eſt propria: quia nihil tam hominis eſt proprium, quàm beneficio aut etiam ſignificatione cuiusdam benevolentiæ alligari, & quò quisque eſt magis erecto, excelſo, liberali animo præditus, eò majori ſtudio bene de aliis mereri, memorem atque gratum exhibere ſeſe conatur. TERTIÒ: Nihil eſt tam vel inhumanum, vel immane ac ferum, quàm indignum aut ſubterviſtum beneficio videri, ſeu ἀχαριςίας vitio laborare. Quot ſunt, quibus non præceptores modò atque educatores ſunt in amore, verùm etiam Academiæ illæ, & loci muti, in quibus aut alti, aut informati aliquando fuerunt, jucunda cum recordatione in mente verſantur? Qui quantum ſit beneficium rectè ineunte ab ætate educari, doctrina tingi, ſalutaribus imbui præceptis, honeſtis moribus expoliti conſiderant; qui *Alexandrum Magnum* parentis loco *Ariſtotelem* habuiſſe, hunc *Platonis* nomini aram atque ſtatuam conſecraſſe, *Auguſtum Cæſarem* propter unicum præceptorem

*Arri-*

Arrium Philoſophum *Alexandrinus* pepercìſſe nôrunt.

IV. *Ab exemplo eorum*, qui hanc virtutem tanti fecerunt, ut erga bruta animalia eam declarare minimè dubitârint. *Romani* propter Capitolium conſervatum, anſeribus publicè cibaria conſtituerunt: & iidem corvum illum, imperante Tiberio, exequiis ac funere dignum honeſto judicarunt, qui cives manè ſalutare erat ſolitus, lapidibus hominem eum obruerunt, à quo interfectus ille fuerat. *Athenienſes* mulos, qui magno labore ad Hecatompylas opus fecerant, immunes à laboribꝰ rediderunt.

V. *Ab exemplo belluarum*, quæ ingratitudinem oderunt, & gratitudinis exempla nobis præbent. Nam & de Ciconiis erga parentes ſenio confectos gratis, multa naturæ Speculatores referunt: & in Urbe Sextia *Aquilam* virgini cuidam pro educatione aves captas attuliſſe: *Leonem* erga Androclum gratum extitiſſe. *Canem* quendam dominum ſuum Titum Sabinum neque in carcere, neque poſt in flumine deſeruiſſe Hiſtorici referunt.

VI. *à rebus inanimis*, in quibus nobis gratitudinis exempla propoſita ſunt. Nam multo plus agri fertiles afferunt, quàm acceperunt: fabæ ac lupinum fœcundum ſolum reddunt, non exhauriunt. (*Cic.1.de.Offic.*)

VII. *à pœnis ingratorum*. Sacræ litteræ non receſſurum à domo ingrati malum affirmant, ejusdē fidem tanquam hyemalem glaciem perituram docent (*Sap.16.verſ.29.*) pœnas alias illis minantur, qui neque mente, neque memoria beneficia accepta colunt.

VIII. *à Teſtimoniis Philoſophorum, Hiſtoricorum, Oratorum*. PLATO, 1. *de Repub. ex Simonide* ait, juſtitiam eſſe verum dicere, & ab aliis accepta red-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reddere, & hoc requirit, ut ſi quis gratias referre nequeat, ſaltem beneficia laudet. 4. *de Legib.* prima atque auguſtiſſima eſſe officia indicat, debita iis perſolvere, qui benè de nobis meriti ſunt. ARISTOTELES 5. *Ethic. cap.* 8. docet, bene meritis gratia niſi referatur, rerum communicationem officiorumque veluti mutationem tolli, ac propterea Gratiarum templum in propatulo urbis loco conſtitutum cenſet, ut, quòd gratiæ proprium remuneratio eſſet, ei, qui beneficium dederat, beneficium referretur: hic rurſus alterum beneficio provocaret. *Lib.* 1. *Rhet. cap.* 11. inter jucunda recenſet, & dare, & accipere beneficium. PLUTARCHUS *in libello quo decet maximè cum Principibus philoſophandum, ait*: nihil eſſe tam ferax gaudii, atq; gratiam & nihil Diis homines gratius agere, quàm ſi parentibus, alumnisque ſuis veteres ſuper novis fœneratas gratias benignè alacriterque perſolvant. XENOPHON laudat *Ageſilaum* Regem, quòd non ſolùm injuſtum eſſe judicarit, non referre gratias: ſed etiam ſi is, qui plus poſſet, non majores quoque gratias referret. DHEMOSTHENES *orat. adverſus Leptinem ait*, maximum Rerump. præſidium tolli, ſi gratiæ referendæ ſtudium atque inſtitutum vetus tollatur. CICERO 1. *de Offic.* nullum eſſe officium referenda gratia majus ſcribit, & ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, longè hoc faciendum magis in eos eſſe ſtatuit, qui jam profuerunt. SENECA *Libro de beneficiis* 2. *cap.* 24. nihil magis præſtandum eſſe cenſet, quàm, ut memoria nobis meritorum hæreat. *cap.* 25. verbis efficiendum, vel etiam ſolo nutu, ait, ut remunerationis ſpes aliqua appareat. *cap.* 32. nondum eum, qui animo benigniſſimo beneficium accepit, officium conſummaſſe ſuum docet, niſi & altera pars red-

den-

dendi acceſſerit: quemadmodum in luſu eſt aliquid pilam ſcitè diligenterque excipere; ſed non bonus luſor dicitur, niſi qui aptè & expeditè remiſit, quam acceperat, *Lib.3.cap.1.* de ingratis etiam ipſos queri ingratos: & ingratos eſſe, qui beneficium accepiſſe ſe negant, quod acceperunt; qui diſſimulant, qui non reddunt: peſſimos verò qui obliti ſunt.

*In* EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut, cum Sacra Scriptura, unà cum Philoſophis, &c. grati animi benevolentiam atque remunerationem requirat, & huius exempla egregia non in hominibus modò, ſed & in beſtiis, & rebus inanimis conſpiciantur, & ſine hac virtus nulla conſiſtere queat, & ἀχαριστία nihil ſit turpius, nihil Gratitudine velint habere antiquius, & memores eſſe illius, quod eſt apud PLAUTUM: *Si bonis quid ſit boni, idem & gratum & grave eſſe conſuevit, eò quod animum illi gratum habent, ſemperq; ſervos ſeſe eſſe arbitrantur, donec gratias aut egerint, aut retulerint.* & illius AUGUSTINI epiſt. 5. ad Marcellinum: *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nil dici brevius nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.*

## XVI. DE SACRORUM HOMINUM Cœlibatu.

EXORDIUM: Quòd ſi vos illorum ex numero mortalium exiſtimarem, Viri Eccleſiaſtici, quos depingit apud Ezech. *cap.* 33. Deus in hunc modum: *Et tu fili,* &c. ex hac, inquam, cohorte hominum ſi vos putarem, fruſtra labor dicendi à me ſuſceptus hodie videretur: ſed quando conſenſu publico tam denſi huc conveniſtis,

ſpes mihi permagna eſt oborta, fore, ut in voluntates optimas, veluti pingues cultosque agros, Verbi divini inſpergatur ſemen.

PROPOSITIO: Expoſiturus ſum theſaurum cujusdam abſconditi in agro Eccleſiaſtico, imò pretioſiſſimæ margaritæ, aut, ſi mavultis, præſtantiſſimi monilis dignitatem, cujus amore ebrii prope innumeri, mares fœminæ, juvenes, ſenes, infimi, ſummi, res cæteras pro viliſſimis habuerunt, quòd illius beneficio, quaſi Dii quidam, inter homines eminerent, tantumque antecederent aliis, quantum terræ cælum, mortalibus immortalia, caducis æterna antecedunt. Cujus rei ut abeſſent alia, hoc indicium habere clariſſimum, quòd Chriſtus Opt. Max. veſtri ordinis Dux & Princeps, *in quo theſauri omnes ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi*, è cælo venturus ad humanæ vitæ cõtubernium, hoc ante omnia ſingulari ſtudio curaque dilexit monile, perque annorum 33. ſpatia ſuomet in corpore religioſiſſimè circumtulit, ac porrò in futurum omnibus ſæculis habiturus. Theſaurus ille abſconditus, illa gemma, illud monile, de quo ſpondebam me dicturum, eſt ſacrorum hominum Ordinisque Eccleſiaſtici Cœlibatus, res profectò adeò excellens & admiranda, ut de ea jam olim Spiritus ipſe, qui eſt auctor inſtitutorque caſtimoniæ, dixerit: *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ*, &c. (Syr. 26.) Et: *Incorruptio facit, proximum eſſe Deo:* (Sap. 6.)

PARTITIO: Ut autem per incerta non vagetur oratio, explicabo *primò* originem ac dignitatem Eccleſiaſtici cœlibatus; *deinde* cauſa indictæ ſacris hominibus continentiæ; *poſtremò* rationes, quibus conſervari illibata caſtitas poſſit. Quod dum facio, quæſo obteſtorque vos per Chriſtum, ut exigui temporis audientiam præſtetis.

CON-

CONFIRMATIONIS I. PARS. D. Paulus Hebræos ſuos (*cap.7.*) docturus, quantum veteri umbratibiliq; Teſtamento novum anteſtaret, dixit: *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt & legis translationem fieri. Chriſtum tanto melius ſortitum eſſe miniſterium, quanto melioris Teſtamenti Mediator eſſet, omniaque facienda ſecundum exemplar, quod oſtenſum fuerat*: ſignificans futurum, ut quemadmodum in Judęorum gente à capite ſuo Aarone Sacerdotum Levitarumque ordo formam diſciplinæ acceperat; ita apud Chriſtianos, quotquot ſacras occupaturi functiones eſſent, à Chriſto, Paſtorum Principe & Sacerdote *ſecundum ordinem Melchiſedech*, rationem vivendi ſumerent, utq;, quod ex Lege iſti faciebant, ut in ſpem generis educarent ſobolem: hoc jure ac more novo Sors Domini, hoc eſt, Clerus Chriſtianus intermitteret: quia Magiſtrum Ducemque imitaretur, qui non è Virgine modò Aalma, id eſt, caſtitatis tenaciſſima, editus, baptizatusque à Joanne Virgine erat, & inter Apoſtolos Virginem Evangeliſtam omnium arctiſſimè ſemper coluerat, colendamque à ſuis adeò inculcârat, ut omnes in Collegium Apoſtolorum adſcripti, aut eſſent Virgines, aut certè, poſt ſuſceptũ Apoſtolatum, mariti ab uxoribus intacti. Sciebat enim vinum novum mittendum in novos utres, juſtitiamque Cleri Chriſtiani plus quam Phariſæorum ac Scribarum abundare debere, munusque illorum, qui perlaturi eſſent per Orbem terrarum myſterium à ſæculo abſconditum, animarumque piſcatores ac venatores futuri, longè maximum graviſſimumque fore, ac eam ob cauſam luce honeſtiſſima virtutum exornatos eſſe oportere. Nihil autem ſic commendare Doctores ad multitudinem, quàm ſi fama caſtitatis videantur eximii: quod etiam multis ante ſæculis magnus ille ſapiens prædixerat exclamando: *O quàm pulchra eſt* *Sap.4.* *Tertull. Illi- eron.*

*caſta generatio cum claritate!* *&c.* Qua in oratione hominum caſtorum familiæ duo tribuit, pulchritudinem & claritatem, quod in eo ſtatu neſcio quod non decorum modò, atque formoſum; ſed divinum quoque eluceat, ut non incommodè cœlibes vocârit Carthaginenſium Martyr & Pontifex florem Eccleſiaſtici germinis, illuſtriorem portionem gregis Chriſti, &c. Certè qui carnem ſuam poſſident in caſtitate & ſanctificatione, illi cœleſtis vitæ ſpeciem jam nunc in corpore ſuo oſtendunt, Angelisque, vel Chriſti teſtimonio, ſunt conditione perſimiles. Vnde Sanctus Cyprianus Cœlibes ſic alloquitur: *Quod futuri ſumus, vos jam eſſe cœpiſtis, &c.* Etiam olim Eſaias continentium Evangelicorum dignitatem (*c.56.v.3.*) ſic vaticinatus eſt: *Non dicat Eunuchus, &c.* De Judith: *Tu gloria, &c.* Nec in ſolis aut Chriſtianis, aut Hebræis hæc extitit de caſtitate exiſtimatio: ſed apud *Romanos* quoque rerum dominos tanti fuit, ut Imperatores, Conſulesq;, quorum ſe faſcibus ſubmiſerat Orbis terrarum, cùm triumphantes Vrbem inveherentur, occurrentib⁹ fortè Virginibus Veſtalibus, ſubmiſſis faſcibus de via cederent: in nocte Ethnica enim videbant, plùs quàm humanum ſapere eos, qui cognatas humano generi voluptates aſpernarentur, adeò ut Cato illos vitam Deorum agere diceret, qui eſſent ſine uxore. Menander: *Conclave virtutum eſt continentia.* & alius: *Res pulchra eſt corpus caſtum, & ſine conjuge vita.* (Auguſtus ingens congiarium iis, quorum habebat exploratam pudicitiam, donare ſolebat, *Dio.*)

Quare cùm intelligerent optimi majores vitam ſalutemque dignitatis Eccleſiaſticæ in Cœlibatu verti, cogitarentque quàm indignum eſſet eos, quos juſſerat Deus portare crucem, & ſequi Chriſtum, quaſi effœminatos milites, abjecto ſcuto, ad

ad fuſum & calathum conſidere; ſcirent etiam Leonis illius rugientis, qui *circumit, quærens quem devoret*, in continentibus, id eſt, eſcis electis, captandis infinitam diligentiam: vix dici poteſt, quàm acriter Clerum excitaverint ad tuendum Cœlibatus honorem. Hinc illa Apoſtoli parænesis ad ſuum Titum: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, & in integritate.* Quæ autem eſſet ea integritas paulò ante expoſuerat, quòd oporteret Epiſcopum eſſe continentem ab uxore, ſi quam habuiſſet ante initiationem. Quæ autem cauſa eſt Epiſcopi, eadem eſt Cleri reliqui, ut diſertè docent Apoſtoli interpretes, Cyprianus cœleſti viſione ſe admonitum teſtatur, ut ſacros miniſtros à contubernio fœminarum ad ſingularem vitam revocaret. Patres cæteri, ſi labaſſet majeſtas continentiæ, bone Deus; quanta contentione coërcebant Sacerdotes uxorios? Cùm ſub Imperium Conſtantini filiorumque per Epiſcoporum negligentem vigiliam obrepſiſſet in Clerum mos, ut ob procurationem rei domeſticæ mulierculas in familiam acciperent, ex eaque re peſſima in populum manarent exempla, Sanct. Hieronymus cum ſtomacho exclamavit: (*Epiſt. 22.*) *Vnde in Eccleſiam Agapetarum peſtis introiit? &c.* Synodus autem Nicæna *Canone* 3. in eius culpæ affines graviter fulminavit. In eadem veſtigia Synodi Nicænæ ingreſſa Concilia alia ſunt non pauca. Wormatienſe, omnis occaſionis amputandæ cauſa, etiam matrum, ſororumq; convictum vetuit. Ac ne rei ſaluberrimæ, ob inſitã intra viſcera cupidinem, caperet aliquando Clerũ oblivio, nihil ferè crebrius in ſuis libris Patres, quàm continentiæ morem curamque inculcarint. Sanct. Hieronymus contra uxoriorum Clericorum tubicen Vigilantium quomodo intonet, quis igno-

ignorat? &c. Quòd ſi olim Clerici, neque Conciliorum decretis, neq; Patrum monitis obtemperaviſſent, tum publica fiebant exempla.

II. Pars. Tranſeo ad *cauſas* imperati Clero Cœlibatus, quas quidem longè maximas juſtiſſimasq; habuit Eccleſia. Prima Causa. Nam cum Sacerdotum peculiare ſit munus, non taurorum hircorumq; ſanguinem; ſed victimam quotidie incruentam, Agnumque immaculatum, qui tollit peccata mundi, offerendo, Deum hominibus conciliare, neceſſe profectò eſt, quod ait Chryſoſtomus, ut penè comparem Angelis habeant puritatem; eam verò ineſſe matrimonio, ne dum concubinatui, quis ſanæ mentis dixerit? cùm ne ſapientiæ quidem uxorique ſimul vacare ſe poſſe Cicero affirmet, & Hebræorum populo Legem accepturo mandarit Moyſes, ut ad dies aliquot non appropinquarent uxoribus, *(Exod. 19. v. 15.)* neque Propoſitionis panes eſurienti magnopere Davidi, niſi à fœminæ contactu mundo, dare voluerit Abimelech. Ad hæc ipſi Sacerdotes miniſtraturi in Tabernaculo, vices obire ſuas ſecubando coacti fuerunt: ſolenniterque Ethnici vocem ante ſacrificia hanc emiſerunt:

——— *Procul, procul eſte profani:*

imò ipſe Deus ait: (*Exod.* 19. *v.* 22.) *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos.* Et: (*Levit.* 10. *v.* 3.) *Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, &c.* Et: (*Matth.* 7.) *Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas projicere porcis.* Quam ergò obnoxios ſe faciunt irę cœleſti, qui eundem illum, quem verebatur Propheta Eſaias nũcupare, quòd diceret ſe virum pollutum labiis, non appellare modo, ſed & manibus pertractare impuris audent; iisdemq; labiis (ut dicebat Sanctus Bernardus) oſculari Filium Virginis, quibus paulò ante oſculati erant labia meretricis. Oportebat certè

eos

vos meminiſſe ſupplicium filiorum Aaron, qui quòd ignem alienum (qualis certè eſt amor impurus) offerre tentaſſent, voraci repente flamma ſunt abſumpti: pœnam item filiorum Heli, quorum peccatum Scriptura vocat grande, quod inquinatiſſimis manibus ſacra contrectaſſent: & Ozæ repentinam mortem, quia paulo irreligioſius Arcam attigiſſet: Balthazaris denique Regis horribilem exitum, quod ſanctiora Templi vaſa temerè in concubinarum triclinium inferenda curâſſet. SECUNDA. Jam verò alterum eſſe Cleri officium, oratione aſſidua inſtare, & meditari in Lege Domini die ac nocte, nemo neſcit, qui APOSTOLI libavit Epiſtolas: cum qua functione commercium mulierum male congruit. Poſtulat enim precandi meditandique ſtudium mentem vacuam ac tranquillam, ut iis calceamenta ponantur affectuum, quod adituro ad ſe Moyſi Deus mandabat. Qui autem alligati ſunt fœminis, illi & ſunt diviſi, & uſque adeò ſerviunt carni, ægrè ut ſui compotes eſſe poſſint: & neceſſarium putavit Div. Paulus (1. *Cor.* 7.) admonere conjuges; ſaltem ut jejunii orationisque cauſa rem uxoriam intermitterent: unde ſic rationatur Sanct. Hieronymus: *Apoſtolus voluit, &c.* igitur perpetuus eſt à Clero colendus Cœlibatus, præcipuè cùm inter orandum cor ſibi dari Dominus, & effundi in conſpectu ſuo animam velit; & fornicatio cor auferat, demergatque in profundum vitiorum. TERTIA. Ad hæc docendi provinciam ſcitis demandatam Clero: *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam.* Hinc autem muneri magnum impedimentum adfert incontinentia. Qua enim fronte cohortari ad caſtitatem viduas, virgines invitare ad pudicitiam, permovere ad temperantiam conjuges poſſet is, qui laborat ipſe voluptatis infamia, nec de ſe cum Apoſtolo affir-

mare

mare valet: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Proinde mihi non videtur Ezechiel, dum uxor vixit, veram habuiſſe populum commovendi παῤῥησίαν, quæ ſimulac eſt mortua, demum apertum ſibi os, nec amplius ſe tacuiſſe ipſe fatetur. Qua etiam de cauſa prohibitos quondam ſponſos puto, ne bellatum exirent; Joſue verò, qui in Promiſſionis terram induxit populum, (uti & faciunt doctrina ſanâ Sacerdotes,) nunquam uxorem duxiſſet, quòd omnis, qui agone verſatur, ab omnibus ſeſe abſtineat. Et ſi recolatis memoriâ, ad unũ omnes, qui lucem Evangelii in provincias primi intulerunt, cognoſcetis eos adeò eximios extitiſſe caſtitatis amatores, ut ejus virtutis lætiſſimo fulgore barbararum immaniumque gentium animos ſibi devinxerint. Exempla vobis dare poſſem ex omni hiſtoria penè infinita, & de hac ipſa Weſtphalia optimè meritos Presbyteros, Ludgerum, Ansgarium, Svvibertum, Evvaldos; ſed unũ illud *Franciſci Xaverii* (Orientis Indiæ Apoſtoli) ſit inſtar omnium, cuius ea fuit caſtitas, &c. Mitto jam quòd muliercularum amoribus irretiti Doctores populi quæſtui ſtudeant: quòd difficillimum ſit ſine jurgiis litibusque verſari cum fœminis, ut ſapienter dixerit ille Comicus: *Qui non litigat, cœlebs eſt*; & tamen ſervum Chriſti non oporteat litigare: quòd item ſui plerumque juris eſſe deſinant mulieroſi, fiantq; mancipia mediaſtinarum ancillarum, quæ, ut ait Cicero, leges imponant, jubeãt, netent, quod videtur, ut nihil imperantibus negari poſſit, nihil recuſare audeãt; ſi poſcunt, dandum; ſi vocant, veniendum; ſi ejiciant abeundũ; ſi minentur, expaveſcendum: qua ex re dici non poteſt, quantũ de fide & authoritate Doctoris detrahatur. QUARTA. Quartum illud eſt, quòd, cùm charitas Paſtorum ſumma eſſe in oves debeat, longeq; magis diligẽdi ſint filii ſpirituales,

quàm

quàm carnales, præcipuaq; habenda ſit ratio egentium, ſi liberis ipſi dent operam, tùm certè partem amoris primam collaturi ſint in filios, adeoq; pro eorum re augenda facturi dicturiq; omnia, (theſaurizant enim libentiſſimè filiis patres;) minus etiam de grege concredito, pauperibusq;, quàm ſi vel ex infima plebe eſſent, cogitaturi: imo omnium avariſſimi futuri. Cùm enim Legibus ab quæſtuoſa negotiatione arceantur, quid, obſecro, magis conaturi ſunt, quam ut opes ex rerum ſacrarum nundinatione, per fas nefasque corrodant, ut patrimonium Chriſti, non Mariæ, ſed militibus, hoc eſt, perditiſſimis ferè liberis: obveniat. Timeant Clerici, timeant Magiſtri Eccleſiæ, qui in terris res ſanctas, quas poſſident, tam iniquè gerūt, atque in uſus ſuæ ſuperbiæ atque luxuriæ victum pauperum conſumere non verentur. O miſerandam Eccleſiam talibus concreditam paranymphis! an verò Salvatori animarum gravior ulla poteſt eſſe perſecutio? Nemo dicat: At moleſtum eſt, ſine hærede diſcedere. Audite antiquiſſimum Tertullianum, qui ait: Heredes ſervus Dei, hæredes deſiderabit, qui ſemetipſum de ſæculo exhæredavit? de poſteriori tempore cogitabit Chriſtianus, cui craſtinum non eſt? Ad ſummam, ut deſint reliqua, hoc tamen commendare nobis continentiam debet, quòd nihil æquè authoritatem labefactet, quàm ſi eodem fœminarum jugo teneatur Clerus, quo multitudo; ſitque uti populus, ita & Sacerdos. Circumſpicite enim mihi Græciam ex eo tempore, quo uxorium Clerum habere cœpit, (ab annis 800.) quem unum de innumeris, Sacerdotem maritum ſanctum, quem eximiæ notæ Clericum extulit? an non populum inter, Ordinemque ſacrum eiusmodi chaos eſt ſubnatum, ut fermè ſine delectu errores quosvis excogitârint, nec ante finis eſſet,

quam impura colluvies Sacerdotum impuram familiam, cum Græcis ferè omnibus, in miſerrimam Turcarum ſervitutem compelleret? Et in hac ipſa Germania, cùm ſub Henrico Cæſare paſſim de nuptiis cogitarent Sacerdotes, an non tanta extitit myſterium contemptio, ut plerisque in locis Sacramenta è turba profana homines adminiſtrarēt, ut niſi naſcentem flammam Epiſcopi acerrimis oppreſſiſſent imperiis, conclamatum de Religione fuerit? Nec tamen me præterit, quod domeſticarum curarum prætextu complures, excuſent fœminarum contubernia. Quid autem Clericis reſponderit olim S. Chryſoſtomus in ſimili cauſa, animadvertite: *An dices*, inquit, *mulierem oportet arcam & veſtem cuſtodire; ſternere lectum, incendere ignem? Et quanto melius hoc frater, & facilius procuraret? natura enim fortior eſt muliere vir, &c.*

III. Pars. Sed incenſi, ut ſpero, jam pulcherrimi & jucundiſſimi Cœlibatus cupiditate, rationem eum tuendi à me ad extremum repoſcitis. Duorum itaq; Generum Rationes, ad Cœlibatum exactè retinendum potentiſſimæ mihi occurrunt. Prima. Inter eas principem ſtatuo, *Sincerum erga Chriſtum amorem*. Amanti enim Chriſtum caſtitas adeò eſt facilis, ut magnus ille Paulus exclamare non vereatur, (*ad Roman.* 8.) *Quis nos ſeparabit, &c.* An verò turpe non eſt, potuiſſe Judæos amore Legis impelli ab Esdra, ut uxores alienigenas, ſuſceptosque ex iis liberos ab ſeſe dimitterent; (1. *Esdræ* 10.) ac propter ſpem potiundæ Rachelis Patriarcha Jacob complures annos incredibiles exhauſit moleſtias: Nos verò ob amorem Jesu, qui *nimia charitate, cùm inimici eſſemus, dilexit nos, & tradidit, &c.* unius mulierculæ diſceſſum moleſtè feremus? Nonne verendum, ne ſurgant in die Judicii, magno numero Idololatræ, ac nos condemnent, qui, quod eſuriebant neſcio quam gloriolam, libidinem

dinem ſtudioſiſſimè fugiebant : Nonne *Alexander Magnus* filias Darii captivas: exquiſitiſſimâ formâ virgines, ne quidem voluit adire, nedum intueri ? nonne idem dixit, ſe Perſicas puellas præterire tanquam ſtatuas? *Scipio* invitatus ad mulierem viſendam, reſpondit, indignum eſſe, ut domitor Hiſpaniæ à fœmina domaretur. In Græcia quoque permulti ob famam Olympici triumphi adoleſcentes uſum Veneris ſibi funditus cum Platonis admiratione interdixerunt. Vt noſtra attingam, candidas illas naſcentis Eccleſiæ roſulas, *Teclam, Cæciliam, Agatham*; aliasque intueamini Virgines : Conjuges item ſpectate, *Ioſeph, Mariam*, etiam Reges, &c. qui vel inter matrimonii curas caſti illibatique ab uxorum complexu conſtantiſſimè perdurarunt. Quid enim has ad pudicitiam impulit? Amor Chriſti: neque amor modò, ſed etiam voluptas quædam ac dulcedo, quam è Cœlibatu percipiebant. Solet enim jucunditas comes eſſe caſtitatis, ut proinde non malè cecinerit David: (*Pſalm.* 44.) *adducentur Regi virgines, &c.* Salutem uni Auguſtino, ante Baptiſmum in concubinatus naufragio miſerrimè jactato, credite, qui inquit: (8. *lib. Confeſſ.*) *Putabam me miſerum fore, ſi fœminæ privarer amplexu, &c.* At ſi nec ſatis præſidii in hac amoris dulcedinisque arce putatis, certam vobis ob oculos ponite injuriam, quæ per libidinem Chriſto noſtro Salvatori irrogatur, quam tanti fecit Apoſtolus, ut expoſtulando dixerit: (1. *ad Corinth.* 6. *v.* 15.) *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? &c.* Nam ſi Heliodorus audacem contactum ſanctioris ſcrinii acerbiſſima flagellatione Angelorum luit, quas pœnas exiſtimatis ſubituros, qui dotatum ratione, ſacratumque Chriſto domicilium in tur-

piſſimum lupanar convertunt? nam, ut pergit Paulus: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* SECUNDA. Secundum illud jam occurrit longè ſaluberrimum impudicitiæ antidotum, ut cum animis veſtris reputeris illos cruciatus, quos ſine numero ad mortem uſque, pro nobis pertulit in corpore ſuo Chriſtus. Quanquam ſit alienum, non dico ab Eccleſiaſtico homine, ſed à quovis Chriſtiano, ut, cum Ducem Imperatoremq; ſuum videat vinculis, ſputo, colaphis, ſentib⁹, cruce, deformatum à vertice capitis ad pedum plantum, velut nihilominus in pluma ac roſa veneream militare militiam. Quòd quidem ita indignum putabat Vrias, ut invitat⁹ à Davide ab excubiis vigiliisq; nocturnis ad molliorem cultum corporis, ingenuè reſpõderit (2. *Reg.* 11. *v.* 11.) *Arca, &c.* TERTIA. Multum etiam juvare vos poterit, ſi Deum ubique præſentèm, Beatosque Spiritus veſtrarum actionum eſſe ſpeculatores cogitetis: hoc enim eſt ſollicitè ambulare cum Domino ſuo, cuius oculi contemplantur in omni loco bonos & malos. Quæ cogitatio tanti fuit apud caſtiſſimam Suſannam, ut, cùm incorrupta à ſceleſtiſſimis ſenibus in eo periculo verſaretur, ut aut pudor, aut vita eſſet amittenda, hanc denique conſilii ſui fecerit ſummam: *Melius eſt mihi absque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Dei,* (Dan. 13.)

QUARTA. Poſtremus aries ad debellandam libidinem validiſſimus eſt, ut & pœnas eorum meditemur, qui ſeſe hoc vitio inquinarunt, & pręmia caſtorum proſpiciamus. Quis veſtrûm neſcit illud PAULI: *Fornicarios, & adulteros judicabit Deus?* (*Heb.* 13.) *& illud* APOSTOLI Virginis: *Fornicatorum pars erit in ſtagno ardenti igne? &c.* (*Apocal.* 21. *verſ.* 8.) Nam ſi belluam ac brutam beſtiam arcere poteſt à contactu pabuli, etiamſi fame diriſſima exti-

extimuletur, & fermè conficiatur, plagarum metus; an non infra pecudes cenſendi ſunt, qui tam brevi illecebra ignem ſibi perpetuum, fletum ſempiternum, ac ſtridorem dentium mercantur? De mercede pudicorum ſic Sanct. Hieronymus ad nobiliſſimæ ſtirpis Virginem Euſtochium: *Egredere, quæſo, pauliſper de carcere, &c.* Taceo hic ſcandala, quæ à mulieroſis Eccleſiaſticis accipit vulgus: rem profectò graviſſimam, quamque ita deteſtatus eſt Chriſtus, ut judicaret ſatius fore, ſuſpenſa de *colle mola aſinaria* mergi *in profundum maris*, quàm alteri dare cauſam offenſionis. (*Matt.* 18.) Et Chriſti optimus imitator Paulus: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, &c.* (*Cor.* 8. *verſ.* 13.) An verò Deus parum exacerbari putandus eſt, quando ob Cleri intemperantiam de Religione detrahitur, publicum Eccleſiæ miniſterium vituperatur, nomen Domini blaſphematur?

Reſtant jam MEDIA caſtitatis tuendæ: in quibus PRÆCIPUUM eſt, calida frequensque *Oratio*: cùm enim continentia inter Dei numeretur dona, Sapiensque dicat, ſcire ſe, quòd non poſſit *eſſe continens, niſi Deus* det; ille autem *Spiritum bonum* ſe daturum omnibus petentibus promittat, utendum certè hoc inſtrumento. Hoc fecit ille, qui *in tertium* uſque *cœlum* aſcenderat, cùm *ter Dominum* rogaret, ut ſtimulum carnis elideret. Idem fecit eximius caſtitatis patronus S. Hieronymus, cuius extat divinum illud acroama: *O quoties ego in eremo, &c.* ALTERUM incontinentiæ antidotum eſt *fuga occaſionum.* Nam cæteris in vitiis obluctando & obnitendo victoria comparatur: hic fuga præcipua eſt Spes victoriæ. *Fugite,* inquit Apoſtolus, *fornicationem.* Hac ratione Joſeph integritatem ſervavit. Et ipſe fons pudicitiæ Chriſtus adeò ſe à familiari fœminarũ commercio

coërcuit, ut cùm eundem ſemel offendiſſent ſolitarium colloquentem ad puteum cum Samaritana Apoſtoli, ab inſolenti ſpectaculo attoniti, qui cùm muliere loquebatur, verbum effari non potuerint. ( *Quomodo Viri ſanctitate celeberrimi muliebre conſortium vitârint, vide in* ſpeculo Cleric.) Vitandum ergo *conſortium mulierum*: item *otium*, *ventris ingluvies*; & laſcivi *oculorum conjectus* ſunt vitandi. TERTIUM remedium eſt *corporis aſperior tractatio*. EXTREMUM, & cùm præcipuis numerandum, eſt *frequens uſus S. Confeſſionis, & communionis*: cùm per illam venenum, ab imprudentibus hauſtum, evomatur; hac autem, tanquam divino quodam Sole, libidinis uligo exareſcat. Eamq; rationem primam exiſtimo, cur exoriente Chriſtiana Religione tot Virginum, & Continentium examina darent Eccleſiæ nomina: quia *erant perſeverantes in fractione panis*, qui è cœlo deſcendit. Eveniebat enim, ut per aſſiduum uſum SS. Euchariſtiæ adhærentes Deo, unius Spiritus efficerentur cum illo.

CONCLUSIO. Sed quia longiùs evectus ſum, quā volebam, legam nunc littus, & cum S. Chryſoſtomo ſic concludam: *Obſecro vos, viri Eccleſiaſtici, & ante genua veſtra me provolvo, agnoſcamus honorem quem dedit nobis Deus, & Paulum clamantem audiamus: Nolite effici ſervi hominum, & deſinamus ſervire mulieribus ad animæ noſtræ perniciem. Milites nos Chriſtus eſſe vult ſtrenuos nec propterea nos armis inſtruxit ſpiritualibus, ut circa lanas & ſtamina verſemur, ut aſſideamus ad mulierculas nentes & texentes; ſed ut diabolum percutiamus, qui contra nos militat, &c.*

## *XVII. PARÆNESIS AD IMITATIOnem virtutum Deiparæ Virginis.*

IN EXORDIO oſtendes, Deiparam Virginem eſſe digniſſimam, cuius exemplum omnib⁹ omnino fide-

ſidelibus ad imitandum proponatur, ex dicto hoc S. Chryſoſtomi: (*Hom. in Hypopant. Dom.*) *Magnum venera Virgo hoc mundi miraculum eſt. Ecquid enim in rerum univerſitate queat hac majus aut ſublimius inveniri? Sola hæc cœlum & terram amplitudine ſuperavit. Quidnam illa ſanctius? non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubin, non Seraphin, non aliud denique quippiam inter has res viſibiles aut inviſibiles una hac majus, aut excellentius inveniri poteſt.*

PROPOSITIO: Te igitur bonarum artium & pietatis ſtudioſos, ad veras & varias huius Dominæ & Patronæ noſtræ virtutes vita moribusq; exprimendas incitaturum.

CONFIRMATIONIS INITIUM *duces à fundamento Virtutum* HUMILITATE, *oſtendendo* quàm admirandum in ejus exercitio humilima Virgo nobis præbuerit ſpecimen, & quomodo hoc nobis ſit imitandum. II *Propones* admirandam Sanctiſſimæ Virginis FIDEM. III. SPEM, & modum eam imitandi. IV. CHARITATEM erga Deum, cum modo eam imitandi: & Charitatem erga omnes homines, etiam inimicos. V. OBEDIENTIAM, cum ratione eam imitandi. VI. CASTITATEM, *oſtendendo,* quomodo cum primis caſtarum mulierum cultores eam poſſint imitari. VII. Externam MODESTIAM, in verbis & operibus, & modum eam imitãdi. VIII. VOLUNTARIAM PAUPERTATEM, & modũ eam imitandi. IX. PATIENTIAM; cum mediis & modis eam vita noſtra exprimendi.

*In* EPILOGO, *factarepetitione harum novem præcipuarum Deiparæ Virginis Virtutum, acriter incitabis Studioſos,* ad diligentem eius imitationem, maximè quòd id Sanctiſſima Virgo ardenter petat, dicens: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego mei Domini & Filii* Jeſu Chriſti, & ſumma noſtra neceſſitas requirat.

( *Hoc Thema fusè pertractat* R. P. FRANCISCUS ARIAS *in Libello* de imitatione Beatiſſimæ Virginis Mariæ.)

## XVIII. DE LAVDIBVS SS. *Euchariſtiæ.*

EXORDIUM: Laudibus eos celebramus, qui nos aliquo beneficio affecerunt: longè maximæ Chriſto Servatori debentur, qui eiusmodi munus in nos contulit, quod Principum Regumque muneribus infinitis partibus præſtat.

PROPOSITIO: *De huius* præſtantia, & utilitate *dices te peroraturum.*

CONFIRMATIONIS I. PARS. Præſtantiam huius doni *à comparatis convinces.* PRIMÒ: Nam cùm ſoleant parentes liberis, amici amicis, ſocii ſociis, longam profectionem inituri, res quasdam chariſſimas relinquere, quibus abſentię ſuæ dolorem leniant; Chriſtus ſeipſum nobis relinquit. Et cum Helias, igneo curru Paradiſum petens, diſcipulo ſuo Heliſæo pallium ſuum reliquerit: Chriſtus nō modo ſanctiſſimam ſuam carnem, velut Divinitatis pallium, ſed animam pariter nobiliſſimā admirabili Divinitate decoratam nobis reliquit. *Amplificari hic poterit immenſa Dei charitas in mortales.* SECUNDÒ: Dignitas hæc *declarari poteſt à Nominibus huic dono attributis.* Nam tametſi ſeptem ſint noſtræ Religionis *Sacramenta*, hoc tamen per Antonomaſiam excellentiamq; ſingularem *Sacramenti* nomine ſæpiſſimè appellatur. Dicitur etiam *Euchariſtia, Sacrificium novæ Legis, Communio, Viaticū*: quæ nomina latius explicanda. TERTIÒ, hanc *præſtantiam* res hoc Sacramento contenta declarat. Si Locis Sacris, ſi Sanctorum veſtibus & cineribus, ſi veteris Teſtamenti Arcæ immenſus honos deferebatur; quid non religionis *Euchariſtiæ* debetur, qua is, qui omnia fecit, comprehenditur à

*ornabis*

*ornabis hæc ab* Adjunctis *Chriſti*: quod ſit Dei chariſſimus *Filius*, Principum Regumq; *Dominus*, orbis univerſi *Conditor*, mortis dæmonumq; *victor*, Fons & *Origo* omnium bonorum.

*In* II. PARTE Vtilitas *huius Sacramenti proponatur*. PRIMÒ: Ea in pugna nobis eſt adjumento, quam cum Dæmone, infenſiſſimo ſalutis noſtræ hoſte, continuã habemus: quia non minus Chriſtus Dæmonium vires per hoc Sacramentũ debilitare poteſt, quàm olim, obita morte, ſuo ad inferos deſcẽſu ipſos perdomuit. *Augebis hæc* ab inaudita Dęmonis erga nos invidia, incomparabili fortitudine, aſtutia, & ſumma eius ſervitutis gravitate, quæ omnes in hoc prælio victos perpetuũ manebit. SECUNDÒ: Omnem cœleſtem gratiam hoc Sacramẽtum mortalibus confert. Non enim omniũ bonorum Authorem ſuis quisquã excipere poteſt ædibus, quin ſingulari etiã ratione ab ipſo locupletur.

*In* PERORATIONE *ſuadebis Audit.* ut frequenter cibum hunc ſpiritualem & animæ ſumant, quo & gratum in Chriſtum pro tanto beneficio animum, & ſingularem in ipſum amorem, tam excellenti & Chriſtiano homine longè digniſſima actione declarent, & per arduum virtutis iter, hoc cibo coroborati, conſtanti & infracto gradiantur animo. (*Gell. lib. cap.*8. *Valer. lib.*4. *de Artemiſia.*)

## *XIX. DE INDICENDO BELLO Sathanæ.*

EXORDIUM *à querela*: Quod etſi omnes mortales innumerabilibus hoſtibus cincti ſint, qui interitum eorum machinantur, plurimi tamen reperiantur, qui ſe totos ignaviæ dedant, in delitiis & voluptatibus vivant, & non minus, ac ſi ſumma pace fruerentur, in utramque aurem dormiant.

Vide Libellum meũ de Militia Spirituali, adjunctum Speculo Cleric.

PROPOSITIO: Prodii, ut darem conſilium de bello indicendo Sathanæ, Mundo, & carni.

*Vide Cic. pro Lege Mani.* CONFIRMATIO *conſtabit hoc Syllogiſmo*: Omne bellum, in quo Dei honor & animarũ ſalus agitur, eſt ſuſcipiendum: in hoc bello agitur Dei honor & animarum ſalus: ergo eſt ſuſcipiendum.

PROPOSITIONEM *docebis*: PRIMÒ: quia in ſalutari Lavacro omnes in Imperatoris noſtri Chriſti verba juravimus, illi nomen dedimus, Eccleſiæ caſtra ingreſſi ſumus, bellum Sathanæ, & Mundo indiximus. Certè nihil poteſt eſſe glorioſius & honeſtius, quàm in tanti Principis caſtris manere, & in iisdem caſtitatis, patientiæ, & charitatis armis ſe induere. *Amplificabis hoc.* Primò *Exemplis* Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, & aliorum Sanctorum, qui ſe fortiſſimè in hiſce caſtris geſſerunt. SECUNDÒ *collatione* tanti Ducis cum ducibus ac Regibus terreſtribus, in quorum caſtris militare milites honeſtum & glorioſum ducunt.

SECUNDÒ *à commodis*, cum tanta gloria, pax, concordia, & dignitas exiſtat in hac præclara militia, & tanta immortalitatis præmia victoribus proponantur: & è contrario tantus cruciatus maneat huius militiæ deſertores. *Confer* labores & præmia eorum, qui terreſtri Regi militant, cum labore & præmiis in hoc bello propoſitis.

TERTIÒ *à facili & jucundo.* Faciliorem & jucundiorem eſſe hanc militiam, quam illam Mundi, Carnis, & Sathanæ. Quòd probabis collatione inter vitam peccatoris, tormentum conſcientiæ malæ perferentis, & viri Deum timentis. Sap. 5. v. 7. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, &c.*

*In* CONCLUSIONE *hortaberis Auditores* ad hoc bellum, quod nobis viam in cœlum ſtruit.

XX. DE

## XX. DE HÆRETICORUM COMmerciis vitandis.

EXORDIUM *à cauſa impellente.* Sacroſanctam Christi Eccleſiam, Auditores humaniſſimi, nunquam ceſſat perennis humani generis hoſtis concutere, & ad ruinam omni conamine impellere: idque partim molitur per Ethnicos, & à Religione noſtra alienos homines; partim, & multo validius per domeſticos illius inimicos hæreticos. Qui quidem, ut teſtatur D. Joannes, *ex nobis prodierunt; ſed non erant ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*: migraverunt autem ad Synagogam Sathanæ, & tranſierunt ſimul, *diſcordes in perfidia, in tranſitu concordes*; ſub Christi nomine Antichriſtum nobis ſequendum proponunt, & pro Eccleſia Dei Synagogam Cacodæmonis introducunt, Hæreſin, Evangelium; Mēdacium, Veritatem appellantes. Hæc peſtis ſtatim in Eccleſiæ primordio, quando Domini noſtri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides, exorta eſt, ac, veluti infelix lolium; & ſteriles avenæ, unà cum Dominica ſemente, & Evangelici ſermonis tritico emerſit. Qamvis autem per totum ferè terrarum orbem (tanquam venenum per univerſa corporis membra) ſerpſerit, & indies adhuc ſerpat; majoresque vires colligat? nullo tamen in loco ita peſtilenter, ſicut (proh dolor) hiſce luctuoſiſſimis temporibus in patria noſtra dulciſſima Germania viget. A Christianæ namque Religionis incunabulis nunquam malarum artium nefarius artifex ſanctæ Eccleſiæ bonorumque omnium hoſtis atrociſſimus Sathan majori ſævitia Religionis cauſſam perturbavit, nunquam majoribus viribus, nunquam frequentioribus dolis ac fraudibus oppugnavit, imò nunquam triſtiorem, aut, ut melius dicam, truculentiorem equidem arbitror

graſſatam eſſe Apostolicæ Ecclesiæ divulſionem, quàm nunc miſera videt, atque perdolenter, ne dicam exitialiter experitur noſtra Germania.

Propositio. Quæ cùm ita ſint, Auditores faventiſſimi, & cùm inter cæteras defectionis à Fide Catholica cauſſas haud ſit poſtrema, imò verò præcipua, quod Catholici non pauci quotidie cum peſtilentiſſimis Hæreticis converſantur, arbitratus ſum politiſſimis veſtris auribus non ingratum fore, ſi nulla Rhetorici ſermonis pompa, nullis verborum lenociniis, nullis ſententiarum floſculis: ſed nervoſis, & ex intimis rerum penetralibus eductis rationibus, ſupra modum & inhoneſtum, & impium, & inutile eſſe cum hæreticis converſari demonſtrem: Idque ipſum ea de cauſſa, ut eos velis & equis, cane peius & angue fugiatis, cautius viperina aſpergine viteris, & non minus quàm ignes & aquas, adeoque Tartarum ipſum declinetis.

Attentionis Captatio. Dicturus itaque de his, quæ in tanta hoc tempore opinionum varietate, Religionis tanta diſcordia, & tam variis multipliciter diſſectis inter ſe ſectis maximè ſunt neceſſaria, rogo vos, Auditores, vel potius precibus omnibus oro atque obteſtor, ut nobis exigui temporis attentionem ne denegetis, & verba mea attentè ſummaq; cum benignitate audiatis.

Confirmationis I. Locus *ab inhoneſto.* Agite igitur, agitè, inquam, acerrimi Catholicæ fidei defenſores, cognoſcite mecum principio, quàm turpe, quàm tetrum, quàm fœdũ, quàm ab omni honeſtate remotum ſit hæreticorum cõverſatione uti. Quis veſtrum non videt, quàm latum argumentum, quàm ampla orationis ſeges, quàm ſpatioſus hic ſe mihi dicẽdi campus aperiat?

Ne-

Nemo enim eſt, qui neſciat, hæreticos ad Eccleſiam, ejusque ſanctam communionem non pertinere, ideoque divinæ gratiæ & ſalutis æternæ nequaquam participes eſſe poſſe. Etenim ſicut tempore Diluvii nullus mortalium extra Arcam Noë in vivis manere poterat: ita extra Eccleſiam nemo vitæ immortalis nunquam interituram felicitatem conſequitur, nemo ex his terrarum anguſtiis in illam cæleſtem regionem evolare, nemo ab hac ærumnoſa vita in illam æternam domum excedere, nemo piorum animorum cœtibꝰ intereſſe, nemo ſummo illi cæli Dominatori copulari poteſt; nemo vitare poterit, quin excluſus à gaudiis vitæ cæleſtis, cum impiis gehennæ ſuppliciis addicatur; breviter, ad cæleſte Regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, dereliquit. Quæ cùm ita ſe habeant, quis eſt omnium, qui hæreticos aditu, congreſſione, ſermone dignos judicet? quin eos quaſi ipſum dæmonarcham, exitium animarum noſtrarum ſitiẽtem refugiat, averſetur, odio habeat? quin eorum concurſum dirum ſibi, tetrum, atque ominoſum putet? Quis eos obducto ſupercilio contractiſq; naribus tanquam putidè olentes non averſaretur? Quis eos nõ cum nauſea, velut ſcarabæos ſtercori bubulo ſe potiſſimum alentes, refugeret? Imò verò quis eum ex animo poſſet amare, quem non ignorat omni honeſtate abjecta cum hæreticis familiaritatem contraxiſſe? Quis eum non è naturæ finibus exterminandum putet? Quis non ſanæ mentis ſecum animo reputaret aureum illud elogium D. Hieronymi: Tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris, caveto omnes ſuſpiciones, & quicquid probabiliter fingi potes, ne fingatur, ante devita. Fuge perſonas, in quibus poteſt malæ converſationis eſſe ſuſpicio. Nec

pa-

paratum habeas illud è trivio, ſufficit mihi conſcientia mea, non curo quid de me loquantur homines, Quis inquam, honeſtatis amore flagrans, hæc non perpenderet? quis non ſæpè , imò ſemper, mente agitaret? Reperiuntur nonnulli, qui (hoc præceptum HIERONYMI non ignorantes) non palam & apertè, ſed occultè hæreticorum conſortio utuntur. Id quod facilè indicant, ineſſe in hac re inſignem aliquam fœditatem. Non enim quod amplum & honeſtum eſſe ſtatuunt, ab hominum conſpectu removendum cenſent: ſed potius enituntur, ut in omnium oculis ponant atque conſtituant. Cùm ergo illi, qui nondum ſenſum omnem amiſerunt, in conſpectu ominum cum hæreticis converſationem habere non audeant, nonne apertè indicant , eſſe hoc inſigni turpitudini affine? Præterea ſi quem pediculis ſcatere videmus, nonne confeſtim indignabundi dicimus: Faceſſe à me, equidem nolo tibi aſſidere, ne tuo ſatellitum numero augear & ipſe. Cùm in rebus & frivolis tam ſumus perſpicaces, quis eum non honeſtatis limites transgredi diceret, cui in hac re longè omnium graviſſima oculi cæcutiunt? Neminem inquam in omni memoria ætatum, temporum, regionum accepimus, qui contagioſis, & cum quibus fruſtra luctatur ars medicorum, morbis infectos non ſtudioſè vitaret. Quis ergo non hæreticos non ſummo ſtudio caveret? qui mentem habent peſtilentiſſimis erroribus leproſam, capitalibus morbis emortuam, infamia ulceroſam , conſcientiæ ſtimulis diſcruciatam: imò à quibus ea addiſcimus, quæ non tantùm corpus, ſed etiam animam à Regno Dei excludunt, & in æternos cruciatus, ſedéque impiorum detrudunt? Si enim tanti vitrum, quanti precioſiſſimum margaritum?

II. *ab impio.* Videri vos opinor, Auditores, quàm ſe latus orationi meæ campus oſtendat, ſi quæcúque

que hoc loco ſe offerunt, perſequi, & in ſingulis inſiſtere, atque immorari velim: Sed quid multa? non tantùm eſt inhoneſtum, verùm etiam tanta cum impietate conjunctum, ut nulla orationis ubertate exprimi poſſit. Cuius rei vel illud argumento eſſe poteſt, quòd qui familiaritatem habet cum hæreticis, transgreditur mandatum cæleſtis illius Doctoris, qui ad omnem errorem depellendum, hominumque genus à tenebris vindicandū à cælis in terras eſt miſſus. Hic enim præcepit nobis, ut eos fugiamus, *qui veniunt ad* nos *in* cultu *ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*, & Evangelici gregis laniatores. Hæc generis humani Redemptoris ſunt monita, inſtituta, præcepta, à quibus deflectere ſine ſcelere nefario non poſſumus. Quid enim unquam tam ſuperbum, quid tam ingratum, quid tam impium videri poteſt, quam adverſus eius vivere voluntatem, à quo ipſum vivere accepimus? quàm illius præcepta deſpicere, qui ideo aliquid imperat, ut cauſas habeat remunerandi? Si Chriſtum Opt. Max. pura, integra, & incorrupta mente veneramur; ſi ejus nos redemptos ſanguine recordamur; ſi illius diſciplinam, in qua omnis Beatorum vitæ ratio conſiſtit, ſequendam exiſtimamus, ſi ingrati animi crimen & ſcelus exhorremus; ſi non nomine duntaxat, ſed reipſa Chriſtiani ſumus; ſi beatæ vitæ compotes fieri ardenter optamus: nihil magis velle, nihil omnino debem9 agere, quàm quod illum velle, cognoſcim9. Ejus voluntas eſt facienda, à quo ſperamus & præmia. Hæretici, hæretici ſunt fugiendi, ſi Chriſto placere exoptamus. Vtrumque certè fieri non poteſt, ut & ſummi illius Rectoris diſciplinæ obtemperemus, & cùm hæreticis converſemur. Quis ergo eum, qui hæreticorum conſortio gaudet, non ſevera ſcutica, brevibus gyaris, & umbrarum carcere dignum pronuntiaret?

tiaret? Quis eum non Perilli tauro, Buſiridis ara digniſſimum aſſereret? Quis eum non dignum eſſe judicaret, qui cruci ſuffigatur, pedibus ſupinatis ac ſurſum elevatis, capite deorſum in terram devergente, manibus poſt terga revinctis, oculis faſcia obvelatis, & duobus canibus paſtoritiis hinc & hinc per pedes poſtetiores penſilibus, & in rabiem efferatis, ut vivens canes, mortuus coruos carne ſua paſcat? Ignoſcite, Auditores, ſi videmur æquo liberius dicere, ſi moleſta eſt orationis acerbitas, cogitate graves morbos non ſanari lenibus pharmacis. Profiteor me huic generi hominum (ſi eos hoc nomine appellari fas eſt) eſſe inimicum.

III. *ab inutili.* Hîc jam plura, Auditores, non dicam, ſed (Majeſtate cœleſti mihi dicendi facultatem ſuggerente) quæ & quanta incommoda iis, qui hæreticorum converſatione utuntur, eveniant, demonſtrabo. Quod dum facio, adeſte, quæſo, omnes animis, qui adeſtis corporibus, erigite mentes aureſque veſtras, & me de tantis incommodis dicentem attendite. Fieri certè non poteſt, ut tribuli ficus proferant, ut oves inter lupos non pereant, ut aconitum contactu non necet. Quemadmodum enim, qui à cane rabido ſunt morſi, non ſolùm rabiunt, ſeu rabie agitantur ipſi; verùm etiam alios contagio inficiunt: ita qui peſtilentem alicunde imbiberunt opinionem, non poſſunt non etiam alios ſuis colloquiis depravare. Ubi quis hæreticorum blanditias audiverit, & quaſi Circæam aliquam potionem hauſerit, omnẽ, mihi credite, humanitatem exuit, & ſuperbus, crudelis, immoderatus efficitur, animus eius ſæpe in contrarias partes eſt diſtractus, & à ſeipſo diſſidens, ſæpe cæcatus erroribus, & opinionũ pravitatibus impeditus, à recta ratione dejicitur & quamplu-

plurimis ſceleribus imbuitur. Eheu quàm multos hæretici à Matris Eccleſiæ gremio in errorum varios anfractus mira arguria illectant, variis conſcientiarum tricis implicant, fœdis errorribus involvunt, hypocriſi pietatis lenocinio circumlita ineſcant, & à veri cognitione in naſſam perverſitatis abducunt. Quis non animadvertit, quantum hi anſeres clamando, hæque ranæ bipedes, quantumvis diſſonæ, coaxando nocere poſſint? Quis non videt, quàm hi canes latrare, quid dico latrare? imò verò etiam mordere ſoleant? Et certè nemo poteſt nos melius decipere, nemo commodius omni fraude & perfidia fallere, quàm is, quo familiariter utimur, propterea quòd (uti Latialis eloquẽtiæ parens Cicero inquit) auxiliũ ſibi ſe putat adjunxiſſe, qui cum altero rem communicavit. Socium, quæſo, cavere qua ratione poſſumus? quẽ etiam ſi metuimus, jus officii lædimus. De huius ſcelere nihil ſuſpicamur, eius malitiam non videmus, orationi vanæ facilè fidem habemus. Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm hæ, quæ latent in ſimulatione officii: nam eos, qui palam ſunt adverſarii, facilè cavendo vitare poſſumus: domeſtici verò, & cum quibus converſamur, hoſtes noſtri non modò non exiſtunt, verùm etiam opprimunt, antequam perſpicere atque explorare, poſſimus. Quis autem tam prorſus expers eſt ingenii, tamq; à cõmuni ſenſu rerum abhorrens, ut neſciat quàm infeſtiſſimi noſtri hoſtes ſint hæretici? Vix mihi perſuadeo quẽquã eſſe tam truculentũ Turcã, qui pl⁹ malorũ imprecetur nobis, quàm hęretici quotidie inferũt. Quid enim mali aut ſceleris fingi aut excogitari poteſt, quod ipſi non concipiant? Quæ poſſunt eſſe vitiorũ diverticula, ad quæ illi non rapiũtur? Nonne ipſorum frons olere malitiã, & clamitare calliditatẽ videtur? nõne ab imis unguibus

usq;

uſque ad verticem ſummum, ſi quam cōjecturam adfert hominis tacita corporis figura, ex fraude & fallaciis conſtare toti videntur? Templis antiquiſſimis & religioſiſſimis manus impias ac ſacrilegas afferre non verentur, quæ autem ex Templis per ſcelus & per latrocinium auferunt, ea nos videre, niſi in eorum tectis non poſſumus. Sanctimonialium Monaſteria profanant, altaria dejiciunt, ſanctiſſimum CHRISTI Sacrificium auferunt, Sanctorum reliquias (heu piget ac pudet!) comburunt, & in favillas redigunt. Nihil ardentius optant, quàm ut magnam auri argentiq; vim poſſideant; Hæc illos cura ſolicitat, hic ardor illorum mentes inflammat. Quis veſtrùm non innumeros noſtræ Religionis homines novit, qui primùm butyro & melle ſaginabantur, ſplendidis & magnificis veſtibus erant conſpicui, & loculos habebant ære diſtentos: jam verò crumenam gerunt prorſus emūctam atq; exenteratam, aranearumq; magis, quàm pecuniarum plenam? veſtes plenè habent detritas & laceras, ut vix in publicum prodire auſint: circumamicti, inquam, ſunt veſtimento tot conſuto atque variegato panniculis, quot penè dixerim, cælum ſtellis. Quid pluribus: in eum locum educti ſunt, eò redacti ſunt miſeriarum, ut eis ad vitã neceſſaria minimè ſuppetant. Tota, tota profectò Germania, ſi una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, templis, cœnobiis fuit, id fermè omne mihi vos, vos, dico apertè, hæretici eripuiſtis atque abſtuliſtis: ſi, inquam, univerſa Germania loqui poſſet, hac voce uteretur. Nec verò pecunia fortuniſque noſtris ſunt contenti, ſed etiam vitam petunt, quò plures Catholicos occiderint, eò ſe nobiliores putãt, & inanis gloriæ ſpecie capti, flagitiis ſceleribusq; ſuis nomen virtutis imponunt. Apud nos; ſi quis unum hominẽ

jugu-

jugulaverit, pro nefario habetur: apud eos, qui infinita Catholicorum millia trucidaverit, cruore campos inundaverit, flumina infecerit, non modò in templum, ſed etiam in cælum admittitur. Nec ea dico, quæ ſi dicam, tamen infirmare nemo poſſit, illos non ætati parcere, non vagientis miſereri infantiæ. Coguntur enim mori (horreſco referens) qui nondum vivere cœperunt, qui vix matrem riſu & vultus hilaritate agnoſcunt, qui neſcientes malum ſuum, inter hoſtium manus ac tela rident. Iſti inventi ſunt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem ducunt. Nec tantùm occidunt nos ferro, ſed etiam veneno, veneno autem omnium præſentiſſimo, linguæ, linguæ tartareo veneno tinctæ. Ponite, quæſo, vobis ante oculos univerſam Germaniam, & ab eo tempore, quo Lutherus, peſtilentium & jam damnatorum errorum inſignis ſuſcitator, novorumque noſtri ſæculi dogmatiſtarum vexillifer & anteſignanus, cucullam profeſſæ Religionis Symbolon rejecit, & hæreſin ſuam ſpargere cæpit, nefaria ab illis concepta ſcelera in memoriam revocate, & verba mea vel vero eſſe veriora videbitis. Quid mirum ſi ab his univerſa flagitia manârunt? apud quos ipſa vitia religioſa ſunt, eaq; non modo non vitantur; verùm etiam coluntur: quibus & quod libet licet, & quod licet, poſſunt; & quod poſſunt, audent; & quod audent, faciunt; & quod faciunt, Deo moleſtum non eſſe exiſtimant? Pace cruciantur, belló ſaginantur: nihil magis optant, quàm patriæ procellam, rerumque omnium confuſionem. Alioqui unde tot rerum novationes, tam crebri tumultus, tot ſtrages, tot diſſidia, niſi ab hæreticis proficiſcuntur? An non videmus egregia oppida, olim à majoribus noſtris condita, ab hæreticis (cur hoc relinquis inultum Jupiter?) ſubverti? bonas Leges ferri à noſtris Magiſtrati-

bus, ab hæreticis violari? noſtros ſtudere paci, hæreticos excitare bellum? Non eſt mei pudoris occultorum eorum ſcelerum lernam movere, ſinam domeſticas illorum ſordes in tenebris latere: de manifeſtis tantùm loquor, quæ nemo necit, & de quibus ipſi tantum non gloriantur, Pudet me dicere, quod iſtos non pudet facere. Non reformatores, ſed morum deformatores? non correctores, ſed corruptores; non ſapientes, ſed aſtutos; non fures, ſed ereptores? non adulteros, ſed expugnatores pudicitiæ; non ſacrilegos, ſed hoſtes pietatis; non latrones, ſed crudeliſſimos carnifices eos eſſe novimus. Nihil in iis præter ſumma peccata eſſe conſpicimus: nullum eos temporis punctum vacuum peccato, vacuuum ſingulari impietate præterire pati videmus. De Nemine loquor, qui fecit omnia. Verùm quod eſt tam divinum ingenium? quæ tam admirabilis dicendi facultas? quæ iſtorum vitia aliqua ex parte poſſit enumerando percenſere? Nemo autẽ poteſt cum illis amicè vivere, niſi eorũ cupiditati ſatisfaciat, niſi ſeipſum iiſdem ſceleribus aſtringat, quibus eos infectos eſſe videt. O conditionem ſervitutis miſeram, acerbam, luctuoſam, & omnia mala, quæ cogitatione fingi poſſunt, continentem. Hæc certè *Ioannes* Diſcipulus Chriſti perpendens, *Cerinthum* hæreticum non ſecus atque viridem lacertam vitavit. Cum enim in balneis eum reperiiſſet, mox exiliit, ad diſcipulos dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipſæ nos corrumpant, in quibus lavatur Cerinthus, inimicus veritatis. Sic Polycarpus Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopus *Marcionem* tanquam Sathanæ fugit primogenitum. Sic *Paula* nobiliſſima matrona Romana hæreticos inſtar Ethnicorum habuit, & inimicitias hominum ſubire perpetuas, quàm Dei offenſam amicitiis noxiis provocare maluit. Sic cùm *Conſtantius* (Si Hiſtori-

ſtori-

ſtoricorum teſtimonio ſuccinere, & calculum adjicere volumus) Liberium Pontificem relegaſſet in exilium, & ſurrogaſſet in eius locum *Felicem*, Catholicum quidem & incorruptæ fidei virum, ignavum tamen, ut qui familiariter cum hæreticis converſaretur, nec vitaret, quos oppugnare debuerat; cives Romani Eccleſiam, in qua Felix erat, ingredi nolebant. Quòd cùm imperatori nunciatum fuiſſet, reſtitutus tandem eſt *Liberius*, *Felix* verò nulla hæreſi, ſed converſatione ſola pollutus, cedere aliò cogebatur. Sic *Samoſathenorum* & *Edeſſenorum* cives, præfectis ſibi *Arianis* Epiſcopis, ſe ab eorum omnibus commerciis haud ſecus atque à lupis ad unum omnes ſubtraxerunt. Aetas me deficeret, Auditores, ſi pergerem eorum, qui flagrantiore divinorum amore afflati fuerunt, & quorum virtutibus, quaſi quibusdam ſtellis, micant hiſtoriæ, in hæreticos ſævitiam recenſere. Hæc autem jam dicta exempla digna ſunt, quæ omnibus incidantur columnis, quæ pro templorum omnium foribus deſcribantur; & quidem aureis notis, quæ in principalium aularum valuis depingantur, quæ Primatium inſculpantur annulis, quæ regiis in ſceptris exprimantur, quæ Principum inſignibus inſcribantur, denique quæ omnibus ubique monumentis repræſententur, propagentur, ac celebrentur. Quamplurimi autem (ut nunc eſt temporũ malignitas) etiam eorum, qui à vano huius mundi conſortio ſe ſeparârunt, fucatam perſonatamq; ſanctimoniam præ ſe ferẽtes, & ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutem autẽ eius abnegantes, pecuniæ contactum, ceu aconîtum horrent, nec ab hæreticorum interim cõmerciis abſtinent. Adeò ſunt in rebus levioribus ſuperſtitioſi, in gravioribus verò mirandum in modum negligentes Negligentia autem illa parit errorem,

*De bonis non loquor.*

rorē, error lapſum, lapſus flagitium, flagitiū conſuetudinē conſuetudo impudentiam, impudentia mētem reprobam, mens reproba deſperationem, adeò ut non rarò, cùm venenata eorum dogmata imbiberunt, nodoſos Franciſci funes dirumpant, ſervitio Auguſtini exeant, & jugum Domini projiciant. Qui hæc non videt, nihil videt; qui diſſentit, nihil ſentit.

*I. Objectionis Refutatio.*

CONFUTATIO. Verùm de his plus ſatis. Non autem me fallit, hic quibusdam venturum eſſe in mentem, complures hæreticos ad miraculum & prodigium usque eſſe doctos, & maximarum ſcientia rerum admirabiles, ideoque non eſſe abſurdum cum illis converſari. O ſtultiſſima, & ad quæ deridenda non unus ſufficiat Democritus. Quis non protinus videt, hoc eſſe ſtultius quam ut ſit refellendum? Hæreticos enim eſſe doctos non eſt novum, quaſi vero quicquam ſit in rebus humanis tam ſanctum, tam pium, tam (ut ita dicam) cæleſte, quod hominum corruptiſſimi mores ſibi non vertunt in perniciem?

*Quid prodeſt,* (ut Pelignus ille vates canit) *quod non lædere poſſit idem?*
*Igne quid utilius? ſi quis tamen urere tecta*
*Comparat, audaces inſtruit ille manus.*

Optimæ ſunt opes, ſi quis recte utatur; peſſimæ, ſi ſecus: bonum forma, ſed id bonum multis exitio fuiſſe compertum eſt. Ex eodem genere eſt ingenium: ſi rectè utamur, nullum prope hominum generi dari poteſt majus aut præſtantius donum. Sed ſi ad bonum ingenium mala mens acceſſerit, itidem erit ut gladius in manu furioſi. Quemadmodum vina vaſis è taxo factis infuſa ſunt mortifera: ita ſalutaris alioquin eruditio, ſi inciderit in hominem peſtilentem, moribus illius redditur noxia. Quare D. *Hieronymus* (cujus authoritate ſæpe & libenter utor) admodum

dum ſapienter in hæc verba prorumpit: *Nullus poteſt ſtruere hæreſin, niſi qui ardentis eſt ingenij, & habet dona naturæ, quæ à Deo artifice ſunt creata.* Talis fuit *Paulus Antiochenus*, Origenis præceptor: talis *Valentius*, talis *Marcion*, quos doctiſſimos fuiſſe legimus. Talis *Bardeſanes*, cuius & Philoſophi admirantur ingenium: talis *Arius*, talis execrabilis memoriæ *Lutherus*, ut ingenii, ſic doli plenus: talis ſcelere nobilis *Beza*, tales *Calvinus*, erravi, *Calvinus* dicere erat in animo, tales & alii non pauci, quantò doctiores, tantò magis pernicioſi. Non enim eruditio, ſed fides facit Chriſtianum. Sic pulchre tenebant ſacras literas Scribæ & Phariſæi: ſed videntes, non videbant; audientes, non audiebant; intelligentes, non intelligebant. Nec ulli pertinacius obſtitêre CHRISTO, quàm qui præcipuè tenebant eos libros, in quibus & promiſſus fuerat, & adumbratus. Breviter, quantò quis in hæretica perverſitate eſt prudentior, tantò longius à Deo recedit.

Sed dicet fortè rurſum aliquis: Aurum è ſorbus eruendum, & per ſpinarum denſitatem roſæ cautis ſunt decerpendæ. Atqui *II. obiectionis refutatio*

*Dum legimus flores & humi naſcentia fraga*, tam accuratè nobis à colubro cavendum eſt, quam is facilè veneno ſuo perimere poteſt: Grandis prudentia eſt, aurum in luto quærere? non omnium eſt, ex luto aurum legere. Venena non dantur, niſi melle circumlita; & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie umbraque virtutum. Quemadmodum aucupes aut eſca, aut fiſtula aues alliciunt, atq; tandem improvidas illaqueant: ita hæretici, ut nos inſidiis opprimant aucupio ſimulatæ virtutis ſibi utendum putant. Velut Sirenes: dulcia ſunt earum carmina, & ſuavi voce improvidos decipiētia. Nec poteſt earum cantica præterire; niſi qui obturaverit aurem ſuam, & quaſi ſurdus evaſerit. Qui cum *Simile.*

his verſatur, eorum inſidias & impoſturas nulla ratione poteſt declinare: huic inter ſcorpiones & colubros incedendum eſt: huic accinctis lumbis, calceatis pedibus, & apprehenſis manu baculis, iter per inſidias eorum, & inter venena faciendum eſt: hic vix ad dulces Iordanis aquas pervenire, vix terram repromiſſionis intrare, vix ad domum Dei aſcendere poteſt. Quis enim unquam mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos cœpit? quæ etſi non percutiat, certè ſolicitat? Sicut qui in ſolem venit, licet non in hoc venerit, coloratur: ita qui cum hæreticis conſuetudinem habent, etiamſi non hoc agant, tamen fiunt hæretici. Melius eſt hæreticos dimittere, quam id amittere, propter quod omnia ſunt dimittenda. Securius eſt perire non poſſe, quam juxta periculum non periiſſe. Qui autem periculum amat, dignus eſt, qui in illo pereat. Inſuper ſi (juxta dictum Philoſophi) mendaces hoc bonum lucrantur, ut cùm vera dixerint, illis non credatur, quis hæreticis (quibus ſua tantùm perſuaſio pro veritate eſt; imò qui ſpem ſuam poſuere in mendaciis) etiam vera dicentibus fidem haberet? quis odium & ſimultatem præ ſe ferentibus crederet? præſertim cùm aliud iisdem de rebus hodie, cras aliud ſentiant, & Polypi ſeu Chamæleontis in morem in omnem ſe vertant colorem. Quæ enim fuit unquam hæreticorum in aliqua ſententia diuturna permanſio? quod modò ſingulari genere laudis ornabant, idem ſtatim lacerant indigniſſima contumelia: & quod antea convitiis inſectabantur, in cœlum laudibus extollunt. Nihil unquam fuit in illis conſtans, nihil quod non varias mutationes in horas ſingulas haberet. Nonne vobis hæc cernere oculis videmini? Nonne illis hodie ſanctum videtur, quod Saxonum ille novus & quintus Evangeliſta, imò tertius Elias, alter Jo-
an-

annes Baptiſta, egregius Doctor *Martinus Lutherus:* cras verò quòd homo (ſi homo ille appellandus eſt potius, quam admirabile quoddam monſtrum & ſcelus odio dignum) omnium perverſiſſimus *Calvinus*, vel alius quiſpiam hæreticorum ſomniavit? O malum omnibus bonis infeſtum, rebus, humanis peſtilens atque mortiferum? Utinam, utinam autem hæc eſſent falſa, ac non tam multa paſſim exempla occurrent, à quibus libenter abſtineo. Vereor enim ne aut moleſtus ſim vobis, Auditores, aut ne ingeniis veſtris videar diffidere, ſi de tam manifeſtis rebus diutius diſſeram.

Ad te igitur (quisquis etiam es) hæreticorum ſocium venio, te mirum ſeminandarum litium artificem appello, tecum mihi nunc res omnis erit. Quæ te mentis inſania, quis furor exagitat, ut cum peſtilentiſſimis hæreticis, exitium animæ tuæ ſilentibus, converſari non erubeſcas? Hoc non ſani eſſe hominis non ſanus juret Oreſtes, Sicut Crocodilus anceps animal, nunc in terris, agit nunc in aquis: in terra ponit ova, in aqua prædatur, & inſidiatur: ita ſimul & Catholicus & hæreticus eſſe videris. Ne hominem quidem te appellare fas eſt, ſed monſtrum potius importunum: non ex equo & homine mixtum, quales Poëtæ Centauros fuiſſe fingunt; ſed totum è ſerpentis calliditate, & vulpeculæ fraude compoſitum. Nō te pudet manifeſtæ impietatis? non erubeſcis divino numine afflatis peſtilentiſſimos hæreticos præferre? O ſcelus ô portentum in extremos Iberiæ fines, & ultra columnas ab Hercule fixas deportandū! Verum credo te ideo eorū cōſortio uti, ut te aliquando ad amplíſſimos honores perducāt, Sed vide ne te ipſum vana ſpe lactes; vide ne ſpem foveas vel ipſis nebulis inaniorem. Quando tandē te ad ſummum dignitatis faſtigum evehent? quando magna famulorū antecedentiū atq; frequentiū

Apoſtrophe ad hæreticorū ſocium.

turba conſtipatus incedes? quando pulcherrimo ornatu inſtructus, & ſequentium agmine circumfuſus in publicum prodibis? Cùm mare, ut dicitur, vitem protulerit. Vbi tibi ſummos honores deferent? In Utopia, ad forum boarium juxta puteum, ubi fœnum perinde atq; pannum metimur ulnis.

CONCLUSIO. Nimis diu, Auditores humaniſſimi, veſtra humanitate abuſus ſum, & fortaſſe immodicâ loquacitate fui vobis aliqua ex parte moleſtus. Poſteaquam igitur ſatis luculenter ſit demonſtratum, non ſolùm quàm inhoneſtum, verùm etiam impium: nec tantùm impium, ſed etiam inutilè ſit cum hæreticis converſari, caveam⁹, quæſo, hæreticos decora pelle ſpecioſos: vitemus eos, qui ſub Chriſtiano nomine gentilem vitam agunt: qui aliud profeſſione, aliud converſatione teſtantur. Nunquam Catholicos relinquamus: morbidæ enim oves ſuum deſerunt gregem, & luporum faucibus devorantur. Ne credamus nos juxta ſerpentem mortiferum ſecurè poſſe dormire: nihil nobis commune ſit cum iis qui unum non dicunt, & ſentiunt: repellamus, quæſo, iſtud genus hominum à noſtra familiaritate: rejiciamus tam ſceleratos homines à noſtro contubernio: breviter, caveamus hæreticos tanquam veneficos. Sic mihi credite, eam honeſtatis amplitudinem conſequemur, quam & præſentes admirentur, & poſteri memoria gratiſſima proſequantur, & de cuius laude mortales omnes una mente, & voce conſentiant.

INDEX.

# INDEX
# RERVM ET VERBORVM
## INSIGNIORUM HUIUS LIBRI.

*A.*


*Aronis ſacerdotium à Chriſtiano in quo differat,* 41
*Academiæ, earumque ortus & Privilegia,* 18
*Actio ſepulchrorum violatorum,* 24
*Adam typus monarchiæ,* 4
*Adrianus V. quo medio ad Pontificiam dignitatem evectus,* 27. 28
*Æmulationis vis,* 17
*Agatha virgo,* 49
*Ageſilai dictum,* 38
*Alexander Magnus doctrina præſtans,* 29
*Alexandri M. liberalitas in doctos,* 29
*Alexandri Mag. gratitudo,* 36
*Alexandri M. ingratitudo,* 35
*Alexandri M. continentia,* 49
*Alexandri Magni periculum à flumine,* 26
*Alexander Severus Imp. à Mammæa matre retentus,* 11
*Amaſis Ægypti rex obſcuro genere natus, eiusq; factum ac dictum,* 13
*Amicitiæ vinculum quod,* 35
*Andreæ Apoſtoli laus,* 31
*Andreæ conſtantia & mors,* 31
*Androdus à Leone agnitus.* 37
*Anglorum monarchiæ initium,* 5
*Annui magiſtratus, & eorum incommoda,* 15
*Ansgarius Epiſcopus.* 46
*Anſeres Capitolii cuſtodes publicis ſumptibus nutriti,* 37
*Antigoni regis apophthegma,* 15
*Antonius Imp. Philoſophus,* 30
*Apes Regem habent,* 5
*Apolonius ſophiſta.* 30
*Aquilæ in virginem gratitudo,* 27
*Aquarum pericula,* 26
*Arca Noe figura Eccleſiæ,* 59
*Ariſtocratiæ incommoda,* 2. 3
*Arius Alexandrinus Philoſophus,* 37
*Arius hæreticus,* 69
*Aſſyriorum monarchia,* 2
*Aſſyriorum monarchia diuturna,* 6
*Athalaricus Hiſpaniæ monarcha,* 6
*Athalia regina,* 11
*Athenienſes illis, qui pro patria occubuerant ſepulchra publicè exſtruxerunt,* 37
*Athenienſes capite multarunt* magi-

magiſtratum recuſantes, 7
Athenienſiũ duces doctrina præſtantes, 29
Athenienſium regnum, 6
Attila Vngarorum Rex, 5
Auguſtini Cœlibatus, 49.50
Auguſtus Cæſar, ejusq; imperium pacificum, 2
Aurum ex ſordibus eruendũ, 69

B.

Bactrianorum ſepultura qualis, 23
Bambarusticus, rex Hiſpaniæ factus, 14
Bardeſanes hæreticus, 69
Bellum ſpirituale contra Sathanam, 55
Beſtiarum quarundam gratitudo, 37
Beza hæreticus, 69
Bibliotheca regum Ægypti, 29
Boemiæ regni initium, 6
Bonitas quid, 34
Boni obedire, quam imperare malunt, 6
Bonum ingenium mala mens, 68
Britho Anglorum rex, 6

C.

CÆcilia virgo, 49
Calvinus hæreticus, 69
Calvinus, perverſiſſimus hæreticorum, 71
Canaan provincia S. Andreæ docenda obtigit, 35
Canis in dominum gratitudo, 37
Carthaginenſium Iudex unus, 6
Caſpiorum ſepultura, 23
Caſtitas quibus facilis, 48
Caſtitatis laus, 41.42
Cato quomodo emerſerit, 10
Cato gradatim ad honores aſcendit, 9
Centauri qui, 71
Cerinthus hæreticus, 66
Cervi unum ſequuntur, 5
Charitas Chriſtiana nunquam violanda, 19
Chriſtiani civili Magiſtratui ſunt ſubjecti, 32
Chriſtianum quid faciat, 69
Ciconiarum in parentes gratitudo, 37
Civili Magiſtratui obediendum, 32.33
Cleopatra regina, 11
Clerus Chriſtianus, 41.42
Clericus fornicator, quaſi ſtercus, 70.71
Cœlibatus encomium, 39.44
Cœlibatus origo, 39.40.41
Colchorum ſepultura, 23
Concubinarii Clerici, & eorum ſcandala, 39.40.41
Conjugium an Epiſcopo permiſſum, 43
Conjugii onera, 42.43
Conſtantinus Imp. 66.67
Continentiæ dignitas, 41.42
Converſatio hæreticorum quam periculoſa, 71.72

Corin-

Corinthiorum regnum, 5
Corinthios cur Paulus Apoſtolus reprehendit, 19
Corpora non nudanda, 25
Corvus funeratus publicè, 37

D.

DAnus Daniæ rex, 5
Danorum regni initium, 5
Deciorum in patriam amor, 35
Democratiæ incommoda, 23
Diabolo bellum indicendum, 55
Dictator apud Romanos, 2.6
Dignitates ſeu Munera apud Romanos quæ, 9
Dignitates quibus modis aucupandæ, 9.10
Dignitatum certi ſunt gradus, 9.10
Diocletiani Imp. genus, 13
Diſſenſionum in Republica cauſæ, 2
Divites multi doctrinâ adamarunt, 27.28
Diviti maximè decoram eſſe, & neceſſariam ſcientiam, 27.28
Doctrina ejusque commoda, 27. 28
Doctrina hæreticorum pernicioſa magis, quàm utilis, 68
Doctrinæ jucunditas, 28

E.

EXtra Eccleſiam non eſt ſalus, 69
Eccleſiaſticus cœlibatus, vide Cœlibatus.
Eleus Pyrrho quantum ab Alexandro M. dono acceperit, 29
Epaminondas amator, 32
Ephori Lacedæmoniorum, 6
Euchariſtiæ SS. encomium, 54. 55. fructus, 64
Experientia dux ad prudentiam 15

F.

FElix Epiſcopus Romanus, 62
Ferguſtus Scotorum rex, 5
Flaminius cur Conſulatu excluſus, 9
Fœminæ â magiſtratu arcendæ, 10
Fœminæ ſecreti non continentes, 10
Fœminæ domi manere debent, 11
Fœminarum dotes quæ & quales, 10
Fœminarum contubernium Clericis prohibitum, 43
Forma quale bonum, 68
Franciſcus Arias, 54
Franciſci Xaverii continentia, 46
Frid. Imp. infelix caſus inter lavandum, 26
Fundamentum Reipublicæ quod, 18

G.

GAbrias Græcorum dux, 10

Galerii Maximiani Imp. genus, 13.14
Gallorum monarchia, 5
Germania hæreſibus ſciſſa, 57
Germania quæ paſſa ab hæreticis, 64
Gradus honorum certi, 9
Græcorum monarchia, 2
Græciæ calamitas ejusque cauſa, 48
Gratia gratiam parit, 38
Gratitudinis encomium, 33.34
Gynæcocratia pœna divina, 12
Gynæcocratia non admittenda, 10.11

H.

HÆretici qui fiant, & quales, 69
Hæretici omnia corrumpunt, 64.65
Hæretici aucupes imitantur, 70
Hæretici ad Eccleſiæ communionem non pertinent, 59
Hæretici docti, 68
Hæretici inconſtantes, 70.71
Hæreticorum commercia vitanda, 57.58.59
Hedera cuius imago, 10
Heliodorus flagellatus 49
Heroum filii noxæ, 14
Hirudines ſubditorum, 16
Hiſpanorum monarchiæ initium, 5
Honores ſubitanei an optandi, 8
Honores pluribus communicandi, 15.16
Horatiorum in patriam gratitudo, 35
Humilitas S. Deiparæ, 52.53 34

I.

IGnis abuſus, 68.69
Inconſtantia hæreticorum, 70
Impudicitiæ antidotum meditatio paſſionis Dominicæ, 50
Indorum ſepultura, 23
Ingratitudo omnium vitiorum mater, 36
Initia rerum parva, 9.10
Injuriis quomodo occurrendum, 19
Inſolentia muliebris ſexus, 11
Inſtitutio publica an privata utilior, 16.17.18
Invidia virtutis tormentum, 9
Invidia unde accendatur, ibid.
Ioannes Evangeliſta Cerinthum hæreticum vitavit, 66
Iovis ſimulachrum è matulis conflatum, 13
Iphicrates, ejusq; dictum, 13
Iudæi legem ſcriptam ſecum circumferebant, 21
Iudicia an Chriſtianis conceſſa, 18
Iudicia non facile experiunda, 19
Iudiciorum finis quis, 20
Iuliani Imp. malitia, 19
Iuventus melius publicè, quàm privatim inſtituitur, 16

L.

LAcedæmoniorum regnum, 5
Lavandi cauſa aquam ingredi quando puero turpe ſit, 25
Lavationis pericula, 26
Lechus Polonorum rex, 5
Lex iniqua, non eſt Lex 22
Lex de coactione ad magiſtratum gerendum, 7
Legis definitio, 20
Leges neceſſariæ, 18
Leges malæ exoſæ, 20
Legum uſus & effecta, 20
Legibus conſervātur regna, 21.22
Legislatores apud Ethnicos præcipui, 20.21
Leo rex inter quadrupedes, 5
Leonis gratitudo, 37
Leonides Spartanus 35
Liberius Epiſcopus Romanus, 67
Liberalitas Alexandri M. in doctos, 28.29
L. Lucullus, 10
Liberalitatem quid obſtruat ſeu impediat, 34
Libertas eſt legibus ſervire, 21
Libidinis debellandæ arietes, 50
Lites non facile ſuſcipiēdæ, 19.20
Litigare in foro Chriſtianis conceſſum, 18
Ludgerus Epiſcopus, 46
Lutherus hæreticus, 69
Lutherus Germaniæ vaſtator, 65
Lycurgus legislator, 20.21
Lycurgi ſtatutum de publica liberorum inſtitutione, 17.18

M.

MAcedonum lex contra ingratos, 35.36
Magiſtratus gerendus nec ne, 6
ad eum qui cogendi, 6.7
Magiſtratus auctor Deus, 32
Magiſtratum qui recuſant, an & quomodo multandi, 7
Magiſtratus an debeant eſſe mutabiles, 15.16
Magiſtratus novi novæ hirudines, 16
Magiſtratuum muneri quæ adverſantia, 11
Magiſtratuum mutatio multa habet incommoda, 3
Magiſtrorum imperia non contemnenda, 25.26
Magoga Suetiæ rex, 5
Majeſtas magiſtratui neceſſaria, 16.17
Mala mens omnia corrumpit, 68
Malo quomodo non reſiſtendū, 19
Mammæa Alexandri Severi mater, 11
M. Tullius Cicero, 13
Marcion hæreticus, 66.69
Mariæ Deiparæ encomium, 57.58.59.60
Martinus Lutherus quintus Evangeliſta, 69.70. Vide plura Lutherus.
Maſſagetarum ſepultura, 23
Maxilla altera quomodo præbenda percutienti, 19
Medici Alexandrini olim quanti facti, 17



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mendaci etiam verum dicenti non creditur, 70
Militaris ſcientia litterarum ſtudiis adjuvatur, 28.29
Militiæ Chriſtianæ præmium, & felicitas, 56
Minias Ægypti rex, legislator, 20
Minos legislator, 20
Monarchia optima Reipublicè forma, 1
Monarchia juſtiſſima, 1
Monarchia utiliſſima, 2
Monarchia ſtabilior cæteris Rerumpublicarum formis, 2
Monarchia diſſenſionibus minus obnoxia, 3
Monarchia extra invidiam, 4
Monarchicum regimen maximè naturale, 5
Monarchia Romana quando cæperit, 5
Morbi qui periculoſiores, 8
Morbis novi medici non adhibendi, 4
Mortui honeſtè ſepeliendi, 22.23
Mulieres, vide Fœmina.
Mutatio magiſtratuum pernicioſa, 3
Mutationes Rebuspub. pernicioſæ, 15
Muli ab Athenienſibus immunitate donati, 37

N.

NAvis ab uno tantum gubernanda, 4
Nobilitas ſine virtute & doctrina nihil eſt, 15
Nobilitas ſine doctrina manca, 30.31
Nomos unde dictus, 20
Nuditas probroſa, 25.26
Numa legislator, 21

O.

OPum abuſus, 69
Oratio mulierum contubernio impeditur, 45

P.

PArthorum ſepultura qualis, 23
Paſſio Chriſti antidotum impudici amoris, 49.50
Paula matrona Romæ, 66
Paulus Antiochenus hæreticus, 69
Pauperes cur ſcientiam debeant appetere, 27
Pericles eloquens, 29
Perſæ ſepulturæ nullam habuere rationem, 23
Perſarum Monarchia, 2
Pharamundus Gallorum rex, 5
Phariſæorum cæcitas, 69
Philippus Macedo doctrinæ admirator, 28
Phocion dux Athenienſium, 10
Piaſtus ruſticus Poloniæ rex factus, 14
Pietas quid, 34
Piſiſtratus doctus, 29

Polo-

*Polonorum regni initium,* 5
*Polycarpus Marcionem vitat,* 66
*Primislaus ruſticus Bohemiæ rex fit,* 14
*Ptolomæi Ægypti reges doctrinæ amantes,* 29
*Puritas in ſacrificiis requiſita,* 44

R.

*Regna vetuſtiora Rebuspublicis,* 4.5
*Regna armis acquiruntur, legibus conſervantur,* 21
*Reſpublica inſtar navis,* 6
*Reipublicæ optima forma quæ,* 2
*Reipublicæ fundamentum in quo conſiſtat,* 18
*Religio quid,* 14
*Romanum Imperium ſub populi dominatu crevit,* 2
*Romani qua pœna multarint magiſtratum recuſantes,* 7
*Roſa è ſpinis excerpenda,* 70

S.

*Sacerdotum munus quod,* 49
*Sacramenta ſeptem,* 54
*Sacramentum ſimpliciter quod dicatur,* 55
*Sanctitas quid,* 34
*Saræ ſepulchrum,* 23
*Scholarum publicarum utilitas,* 16.17
*Scientiæ dignitas,* 27
*Scipionis caſtitas,* 40
*Scotorum regni initium,* 5
*Scytharum regnum diuturnum,* 3
*Semiamira Heliogabili mater,* 11
*Septem ſapientes,* 29
*Sepultura mortuorum,* 23
*Sepulturæ finis,* 23.24
*Sepulturæ qui nullam habuerint rationem,* 23
*Sepulchrorum violatorum actio,* 24
*Servius Tullius, eiusque genus,* 13
*Sirenum cantus,* 69.70
*Sicyoniorum regnum,* 5
*Socii hæreticorum quam malè ſibi & aliis conſulant,* 71.72
*Sol unus monarchiæ typus,* 5
*Sophænetus multatus, & cur,* 7
*Sophus Athenienſium,* 5
*Spartani magiſtratum recuſantes quomodo multarint,* 7
*Sponſi cur bellatum exire prohibiti,* 46
*Studia nobilitatem quæ deceant,* 30.31
*Subitò quod fit, citò perit,* 8
*Suetiæ regni initium,* 5
*Suibertus Epiſcopus,* 46

T.

*Tarquinius Priſcus Mercatoris filius rex,* 13
*Taxus venenata,* 68
*Tecla virgo,* 49
*Thebanorum regnum,* 5


Tibe-

Tiberius imperator cur magiſtratus perpetuos conſtituerit, 16
Titius Sabinus, 37
T. Manlius Torquatus cur magiſtratum recuſarit, 7
Triumphantes Veſtalibus occurrentibus faſces ſubmittebant, 42
Tullus Hoſtilius è paſtore rex, 13
Turcica ſervitus, 15
Tutor aliquando ad munus cogendus, 7

V.

VAlentius hæreticus, 69
Venena melle circumlita, 70
Venetorum dux unus, Senatores multi, 5
Veſtales Virgines 42
Veſtium origo & uſus, 25
Vina taxo infuſa fiunt mortifera, 68
Vir ad imperandum natus, 10
Virginitas Chriſto unicè placuit, 41
Virtus unita potentior, 2
Virtutes hæreticorum Sirenes ſunt, 69.70
Vitia quomodo decipiant, 70.71
Vltio quæ prohibita, 21
Vngariæ regni initium, 5

X.

XEnocrates ab Alexandro M. dono affectus, 29

Z.

ZAmolxis legislator, 21
Zechus Boemiæ rex, 5

THE-

# THEMATA SEQVENTIA NON PARUM POSSUNT DILATARI *ex* SPECVLO *meo* CLERICORUM, *ex* SPECULO MAGISTRATUUM, *& ex utraque parte* THEATRI HISTORICI.

*Deſignat autem in hoc* INDICE, a, SPECULUM CLERICORUM: b, SPECULUM MAGISTRATUUM: c, *primam partem* THEATRI: d, *ſecundam partem* THEATRI.

1. A*Buſus* eſſe tollendos, & conſuetudines ſalutares inducendas.a,b.
2. *Adulatores* eſſe fugiendos.a,b,c.
3. *Adulterii* ſcelus eſſe puniendum,b,c.
4. *Ædificiis* neceſſariis urbes eſſe exornandas, & collapſa reſtauranda.b.
5. In *Ædificiis* exſtruendis decorum eſſe obſervandum, & luxum vitandum.b.
6. *Ægros* blandè eſſe inviſendos, & benignè tractandos.a,b.in loco de Morbis.
7. *Ærarium* publicum eſſe conſervandum, eoque parcè eſſe utendum.b.
8. De *Affabilitate*.a,b,d.
9. *Affectus* eſſe frænandos.b.
10. *Agrorum* diligentes cultores eſſe honorãdos.b.
11. Amandos eſſe *ſubditos*.b.
12. De *ambitione*. Vltrò ſe ingerentes, ſeu ambientes Magiſtratus, non eſſe admittendos, a,b,c.
13. *Annonæ* providendum eſſe.b.
14. De *Apoſtaſia*.c.
15. *Artium* bonarum Profeſſoribus ſtipendia curanda eſſe.b.
16. De abuſu *Aſtrologiæ*.c.
17. De *Avaritia*.a,b,c.

18. De *Auctoritate*, b.
16. De *Baptiſmate* hæreticorum, & Catholicorum, c, d
20. De *Bello*, b.
21. De *Beneficentia & Benignitate*, a, b.
22. De *Beneficiis Eccleſiaſticis*, a, c.
23. De *Bibliothecis*, a, b, c.
24. De *Blaſphemia*, a, b, c.
25. De *Bonis Eccleſiaſticis*, a, c.
26. De *Breviario*, ſeu Codice Precum Horariarum, a.
27. De *Caremoniis*, a, c, d.
28. De *Calumnia*, a, b, c.
29. De *Horis Canonicis*, a, c.
30. De *Caſtitate*, a, b, d.
31. *Catecheſin* eſſe diligenter docendam, a.
32. *Cenſores* morum civibus eſſe præficiendos, b.
33. De *Cenſuris Eccleſiaſtaſticis*, b.
34. De *Charitate* Dei & proximi, a, d.
35. De *Choreis* & ſaltationibus, b, c.
36. In *Civium* numerum non quosvis eſſe recipiendos, b.
37. De *Clementia*. Eam Magiſtratui eſſe neceſſariam, b.
38. De *Cognitione ſui*, b.
39. De munere *Concionandi*, a, d.
40. De *Concordia*, a, b.
41. De *Concubinatu*, a, b.
42. De *Confeſſione & Confirmatione*, a, d.
43. De vana *Confidentia*, c.
44. De *Conſcientia*, a, b.
45. De *Conſiliis & Conſiliariis*, a, b, c.
46. *Conſolandos* eſſe morientes, & in luctu ac ſqualore verſantes, a.
47. De *Conſortio* bonorum, a, d.
48. De *Conſtantia*, a, b, d.
49. De *Contemplatione*, b, d.
50. *Contentiones* eſſe vitandas, a.

51. De

51. De *Continentia*, a.
52. De *Converſione* Infidelium, a.
53. De *Contumelia*, b.
54. De *Conviviis*, a, b.
55. De *Crudelitate*, b, c.
56. De *Cultu* Divino, b, d.
57. De familiaritate cum *Dæmone*, c.
58. De *Dæmoniaca* divinatione, c.
59. De *Decimarum* defraudatione, c.
60. De *Delatoribus*, b.
61. De *Detractione*, a, b, c.
62. De *Devotione*, d.
63. De *Diffidentia ſui*, b, d.
64. De *Diſciplina* Eccleſiaſtica, Civica, Militari, & Domeſtica, a, b, d.
65. De *Diſcordia*, c.
66. De *Diſputationibus*, a.
67. De Divitiis, a. d.
68. De *Doctrina*, & honore Doctorum, a, b.
69. De *Ebrietate*, a, b, c.
70. De *Eccleſia*, a, b.
71. De *Eccleſiaſtica* dignitate, & im̃unitate, a, b, c, b.
72. De *Educatione* & Inſtitutione *Liberorum*: ejus bene conſtituta in Rep. habendam eſſe rationem, b, c, d.
73. De *Eleemoſyna*, a, b, d.
74. De *Eloquentia*, a.
75. Eam maximè in magiſtratu deſiderari, b.
76. De *Eruditione*, a.
77. De SS. Euchariſtia, a, c, d.
78. De *Excommunicatione*, c.
79. De bono *Exemplo*, a, b.
80. De *Experientia*, b.
81. De *Fama*, b.
82. De *Familia* domeſtica, a, b.
83. De nimia *Familiaritate*, a.
84. De *Feſtorum* violatione, b, c.

85. De Conſtantia in *Fide* Catholica.a.b.d.
86. *Fidem Politicam* datam eſſe ſervandam.b.
87. De *Fiducia* in Deum.d.
88. De *Fœderibus* ſervandis.b,c.
89. De *Fortitudine*.a,b.
90. De *Fortunæ* inſtabilitate.b.
91. De *Frugalitate*.a,b.
92. De *Furto*,c.
93. De *Gloria* vana,a,b,c.
94. De *Gratitudine*,a,b,d.
95 De *Gula*,a,c.
96. De *Hæreſi*, Hæreticis, & ipſorum libris,a,c,d.
97. De *Hiſtoria*, & Hiſtoricis,b.
98. De *Homicidio*, & Homicidis,b,c.
99. De *Honoribus*,a,b.
100. De *Hoſpitalitate*,a,d.
101. De *Humanitate*,a.
102. De *Humilitate*,a,b,d.
103. De *Hypocriſi*, a,c.
104. De *Iactantia* inani,c.
105. De *Iconomachia*,c.
106. De *Idololatria*,c.
107. De *Ieiunio*,a,b,c,d.
108. De *Ignavia*,c.
109. De *Ignominiæ* contemptu,b.
110. De cultu SS. *Imaginum*,b,d.
111. De *Immiſericordia* in pauperes,c.
112. De *Impatientia* injuriæ,c.
113. De *Impoſtura* ac fraude,c.
114. De *Impudentia*,c.
115. De *inceſtu*,c.
116. De *Ingratitudine*,c.
117. De *Injuria, Injuſtitia, & Iuſtitia*,a,b,c,d.
118. De *Inobedientia*,c.
119. De *Intemperantia*,a.
120. De *Intentione* recta,a.

121. De

121. De *Invidia*, b.
122. De *Ira*, a, b, c.
123. De *Iudiciis* non interturbandis, b.
124. De *Iudicio* temerario, a. & pertinacia in proprio *Iudicio*, c.
125. De *Iuramento*, b.
126. De *Labore*, a, b.
127. De *Lachrymis*, a, d.
128. De *Laude* propria, b.
129. De *Legationibus*, b.
130. De *Legibus*, b.
131 De *Liberalitate* in doctos, amicos, cultum divinum, &c. eam in Magiſtratu eſſe laudabilem, a, b, d.
132. De *Librorum* lectione, ſcriptione, diſtributione, a, d.
133. De *Libidine*, a, b, c.
134. De *Lingua*, & Linguarum cognitione, a, b.
135. De *Litibus* forenſibus, b.
136. De *Loquacitate*, a, c.
137. De *Luſionibus*, b. & Luſu aleæ, c.
138. De *Luxu & Luxuria*, a, c.
139. De *Magia*, b, c.
140. De *Magiſtratu* gerendo, & ſuſcipiendo, b.
141. De Magnitudine animi, ſeu *Magnanimitate*, a, b
142. De *Maledictione*, ſeu Improperatione, e.
143. De *Manſuetudine*, a, b, d.
144. De contemptu & cultu S. *Mariæ* Deiparæ Virginis, c, d.
145. De *Meditationibus* rerum divinarum, & Noviſſimorum, a, b, d.
146. De *Mendacio*, a, b, c.
147. De *Militibus*, b.
148. De *Miſericordia*, b, d.
149. De *Miſſa*, a, b, c, d.
150. De *Modeſtia*, b.

151. *Monetam* non eſſe temerè mutandam, b.
152. De *Moribus* bonis, b. & ſolutis, a.
153. De *Morte*, a.
154. De *Mortificatione*, a, d.
155. De *Mulieribus*, a, c.
156. De *Muneribus*, a, b.
157. De *Murmurantium* pœnis, c.
158. De *Negotiis* ſecularibus, a.
159. De *Obedientia*, a, d.
160. De *Oculorum* regimine, a.
161. De *Odio* proximi, c. improborum, non verò inimicorum, b.
162. *Officia*, ac munera parva non eſſe contemnenda, b.
163. Vni *Officia* multa non eſſe imponenda, nec plures Magiſtratus committendos, b.
164. *Officia*, honores, & Magiſtratus non eſſe emendos; ſeu largitiones ac nundinationes Magiſtrat. non eſſe admittendas, b.
165. De *Orandi* ſtudio, a, b, d.
166. De *Ordinibus* ſacris, a.
167. De *Otio*, a, b.
168. De *Parentum*, & Præceptorum contemptu, c.
169. De *Parſimonia*, a.
170. De *Patientia*, a, b, d.
171. De *SS. Patribus*, a.
172. De *Patria*, b.
173. De *Paupertate*, & Pauperibus, a, b, c.
174. De *Pace*, a, b, d.
175. De *Peccato*, a, b, c.
176. De *Peregrinis*, & Peregrinantibus, b.
177. De *Perfectionis* ſtudio, a.
178. De *Perjurio*, c.
179. De *Perſecutione* in Chriſtum & pios excitata, c.
180. De *Perſeverantia* in bono, d.
181. De *Pietate* in Parentes, liberos, Sanctos, ſum-

mum

mum Pontificem, Eccleſiaſticos, b, d
182. De *Pœnis*, b.
183. De *Pœnitentia*, a, b, c, d.
184. De *Præmiis*, b.
185. De Prodigalitate, b.
186. De *Pontifice* Romano, c.
187. De *Prudentia*, a, b.
188. *Publica* commoda anteponenda eſſe privatis, b.
189. De *Pudore*, a.
190. De *Recreationibus* honeſtis, a, b.
191. De *Religione*, & Religioſis, a, b, c. & de Religionis libertate, c.
192. De cultu *Reliquiarum*, b, c, d.
193. De *Roſario*, d.
194. De *Sacerdotio*, & Sacerdotibus, a, b.
195. De *Sacrilegio*, b, c.
196. De *Sanctorum* interceſſionis imploratione, d.
197. De *Scandalo*, a
198. De *Schiſmate*.
199. De *Scholis*, a, b.
200. De S. *Scriptura*. a, c.
201. De *Seditione*, b, c.
202. De *Seminariis* Miniſtrorum Dei, a.
203. De *Sepultura*, a, b, d.
204. De *Silentio*, a, b. d.
205. De *Simonia*, b, c.
206. De *Simplicitate*, d.
207. De *Sobrietate*, a, b.
208. De *Sodalitate* Deiparæ Virginis, c, d.
209. De *Solitudinis* amore, a.
210. De *Spectaculis* vanis, b, c.
211. De *Superbia*, b, c.
212. De *Supplicationibus*, & Proceſſionibus publicis, d.
213. De *Temperantia*, a, b.

214. De

214 De *Templis*,a,b,c,d.
215.De *Tempore*.b.
216.De *Timore* Dei,d
217.De *Traditionibus* Apoſtolicis,a.
218.De *Tributis*,reloniis,vectigalibus, exactionibus,&c.b.
219.De *Valetudinis* cura,b.
220.De *Venatione*,a.
221.De *Verbo* Dei,d.
222.De *Verecundia*,d.
223.De *Veritate*,a,b,c,d.
224.De luxu *Veſtium*,a,b,c.
225.De *Vigilia*,b.
226.De *Vindicta* cupiditate,a,b,c.
227.De *Virginitate*,b,d.
228.De *Virtute*,a,b,d.
229.De *Voluptate*,b,c.
230.De *Votis*,c,d.
231.De *Vſura*,b.c.
232.De *Zelo* animarum,a,d.

Soctis Iesv Paderb 1653

*FINIS.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
580

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN